[illegible] nouū [illegible]

[illegible]

[illegible] appellamus [illegible]

[illegible]

[illegible] de fiant luminaria in firmamento celi [illegible]

[illegible] annos [illegible]

[illegible] duo magna luminaria. Luminare maius ut [illegible]

[illegible] luminare minus ut preesset nocti et stellas [illegible]

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
1 M
16

M 182

C. 4
S. E
O. 8
N. 14

12 19 E 29

PYRONARCHA
SIVE
DE FVLMINVM NATVRA
DEQVE FEBRIVM ORIGINE
LIBRI DVO:

In quibus & Fulminum in Mundo Magno, & Febrium in Mundo paruo cauſſæ naturales omnes, modus originis, idea, proprietates, differentiæ, ac effectus admirabiles accurate tractantur:

Diligenter explicato vetere Gripho Pyronarchæ, à Cœlio Igiano inter Flores Medicos deſcripto.

FORTVNIVS LICETVS GENVENSIS
In Pat. Lyceo Phyſiologus Ord. ſuas haſce Commentationes Dicauit

Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. D.
S. R. E. CARDINALI ASCVLANO.



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA
COL. S. BONAVENTURÆ URB.

PATAVII, Apud Criuellarium, ad Puteum Pictum. MDCXXXIV.
VTRIVSQVE FORI PERMISSV.

PYRONARCHA

SIVE

DE FVLMINVM NATVRA
DEQVE FEBRIVM ORIGINE

LIBRI DVO:

In quibus & Fulminum in Mundo Maiori & Febrium in Mundo paruo causæ naturales omnes, modus originis, idea, proprietates, differentiæ, ac effectus admirabiles accurate enarrantur:

Diligenter explicato veteri Triplici Pyronarcha, Cœli, Aëris inter Priores Medicos dissidio.

FORTVNIVS LICETVS GENVENSIS
In Pat. Lyceo Physiologus Ord. suas hasce Cogitationes dicat

Eminentiss. & Reuerendiss. D. D.

S. R. E. CARDINALI ASCVLANO.



PATAVII, Apud Criuellarium, ad Puteum Piscium. MDCXXXIV.
VTRIVSQVE FORI PERMISSV.

Eminentiſſimo & Reuerendiſſimo

D. D.

FELICI CENTINO

S. R. E.

Cardinali Aſculano.

FORTVNIVS LICETVS

S. P. O.

ADMIRABATVR apud a Platonem Adimantus illud effatum Socratis, Viri Delphico teſtimonio b ſapientiſſimi, Hominem eſſe poſſe ſeipſo præſtantiorem (Eminentiſſime dignitate pariter ac virtute Cardinalis) tum quod comparatio fieri debeat inter plures; tum quod qua ratione quis eſt ſeipſo præſtantior eadem is neceſſario ſit ſemetipſo deterior; adeoque prorſus idem exiſtat, aliquem eſſe ſeipſo præſtantiorem, & deteriorem; quod plane ridiculum eſt aſſeuerare. Profecto ſi Socraticus vllus alius, hic certe ſermo dicendus erat ab c Alcibiade ſimilis eſſe Silenis artificioſis, extrinſecus ridiculam, intrinſecus Diuinam formam habentibus: etenim d Plato rudioris huius Paniſci recluſo pectore diuinam in ea ſententia nobis oſtendit, duo ſtatuens eſſe in homine certã animam; alterum quidem præſtantius; quod Ariſtoteles etiã

a 4. de Rep.

b Diog. Laer. lib. 2.

c Plat. in Sympoſ.

d 4. de Rep.

e 1. de an. t. 82. agnouit eſſe [illegible] ſiue Intellectum; alterum vero deterius; quod Socrates ipſe monuit eſſe Senſum, ſiue Appetitum: Et quia cum homo, in quo Ratio dominatur appetitui, ſupra mortalium conditionem extollitur ad conſortium Diuinæ naturæ, vt
f 10. ethic. cap. 7. 8. 7. eudem. cap. 19. innuit f Ariſtoteles; adeoque præſtantior eſt homine; Sed viciſſim homo, qui Senſum dominari patitur Intellectui, degenerans quadamtenus in brutalē g vitam, is homine, proptereaque
g 8. hiſt. cap. 1. 2. de an. t. vlt. ſeipſo dicitur deterior. Vt autem pauciſſimi ſunt, qui proſcriptis appetitionibus ex Intellectu viuunt; ita maximo ſunt honore digni, qui ſeipſis hoc modo ſunt præſtantiores. Inter hos Te principem obtinere locum ego mentis oculis intueor, vere FELIX CENTINE; qui ſiquidem altiſſimas rerum omnium cauſſas intime cognoſcens, Theologus in Subtilium Schola ſapientiſſimus, non minus re, quam nomine Felix h audire
h Virgil. 2. Georg. i Luc. 12. ſoles; idem ipſe Cingulo myſtico lumbos alte præcinctus i innocentia vitæ merito ſuſpiceris: Te namque pridem ad Eminentiſſimum illud S. R. E. Purpuratorum Collegium euexit non cæca Sors, non fauor Principem; ſed anteacta vita Tuæ ſpectata probitas, & ſublimis doctrina Tua rara ſubtilitas; proindeque voluntas omni virtutum genere pollens, & Intellectus omni plane ſapientia plenus: his etenim veluti geminis Alis k Platoni-
K in Phædro. cis tum alte ad gloriam, & ad Summi Dei ſeruitium euectus es (ſeruire namque Deo regnare eſt) vt probi pariter doctique viri FELICEM CENTINVM ſuſpiciant doctiſſimum Litterariæ Reipublicæ Coryphæum, & Cardinalem Aſculanum admirentur integerrimum Orbis Eccleſiaſtici Primatem. Hæc omnia (vir præſtantiſſime) ſi me dudum cum alijs omnibus Te cognoſcentibus in Tui cultum allicere potuerunt; me tamen vnum a multo tempore duxit in Tui Venerationem humanitas illa Tua, Comitasque mirabilis, qua me ſemper, & omnia mea benigne proſecutus es; nam & libros meos abſque tædio lectitare ſoles; & de me Viros apud Principes honorifice ſæpe locutus, eorum auxiliares manus aduerſum inclementioris Fortunæ conatus mihi ſæpius implorasti: Quin & mihi filiolum FELICEM

Com-

Compater ad Sacrum fontem Chriſto Redemptori non es dedignatus offerre. Quum itaque Tibi (humaniſſime Patrone) propterea me debere plurimum intelligam, quod frequenter incomparabilem benignitatem Tuam expertus, beneficiorum mole, multitudineque propemodum obrutus, vitam grauem agere cogar: quando nunc alia ratione ſoluendo non ſum, inclyto Nomini Tuo Pyronarcham inſcribere decreui, Tibique dedicare volumen hoc meum de Fulminum Natura, deque Febrium Origine; ingentium Tuorum erga me meritorum, maximeque meæ erga Te propenſionis publicum certe, vtinam etiam perenne teſtimonium, gratijs illis iure debitum, quas in me larga manu ſemper effundere conſueuiſti; debitumque omnigenæ virtuti Tuæ, qua ſummos inter ſubtilesque tum Philoſophos, tum Theologos merito ſupremum dignitatis apicem, ſupremumque ſapientiæ culmen aſcendiſti. Vale veræ probitatis, & ſolidæ doctrinæ ſidus fulgentiſſimum; & propenſioris meæ Voluntatis affectu in hoc imbecillioris meæ Mentis effectu contentus eſſe velis; & amare, fouereque ne deſinas Licetum Tuum; qui Deum Opt. Max. enixe precatur, vt longæuum Te ad eam ætatem ſeruet incolumen, in qua cum Magno Catholicæ pietatis, & litterarum incremento titulum ſcribere valeas Seruus Seruorum Dei. Patauij. Menſe Nouembri. MDCXXXIII.

Accipe purpurei lumen, ſplendorquè Senatus
FORTVNIQVE tui ſcripta tuere libens.
Aethere in abrupto, inquè humanis artubus ignes
Inuidiam aſſeclâ, teque legente, petant.
Nulla magis ſacros decet hac proceresquè, patresquè
Nulla magis Studijs debita cura tuis.
Ingenij defende tui molimina, & artes
Quæ tibi poſt primum iam peperere locum.
Hac tum laus maneat, cum terquè quaterquè beatus
O Felix, terris iura, Polumque dabis.

MATTHÆVS VAIIRA.

Fulmina conſpiceret cum Iupiter ire papyris,
LICETE, in chartis & rutilare tuis,
Aſtra Syracuſij riſit ſuperata Magiſtri,
Signaque per vitreas currere iuſſa vias.
Et miratus opus, translataque fulmina chartis
A nymbis, Aquila talia verba dedit;
I celer huc illos ales mihi tolle libellos,
Vt maneant noſtro tela diſerta polo;
Et mihi poſt moueat quantos vult Phlegra tumultus;
Non Aetnam tantùm diſcet habere Iouem.

IOANNES ARGOLVS.

Dum ſoluit fœtum nodis ænigma LICETVS,
Oedipodi arguto mente ſagace præit.
Res quaſcunque graues auguſtâ indagine vallat,
Et ſtudio reliquis nobiliore cluet.

Balth. Solymoſi Tranſil.

INDEX

Librorum, & Capitum in hoc opere contentorum.

Pyronarchæ Liber Primus; in quo proponitur Antiquioris Ænigmatis interpretatio Philoſophica de Natura Fulminum.

PRæfatio, ſcribendi occaſionem aperiens, & materiam tractandam attingens. pag. 1.

Proponitur vetus Ænigma Pyronarchæ. CAP. I. 2.

Coniectura de Autore, genuina Griphi facie, materiaque tractata. CAP. II. 2.

Fulminis cauſſæ naturales omnes, modus originis, idea, proprietates, differentiæ, ac effectus admirabiles, in Ænigmate Pyronarchæ deliteſcentes deteguntur; diligenter explicatis particulis omnibus obſcuri Scrupi. CAP. III. 3.

Pyronarchæ Liber Secundus; in quo proponitur Aenigmatis interpretatio Medica de Febrium Origine.

PRæfatio detegens occaſionem ſecundæ ſolutionis Griphi afferendæ. 75.

Sc-

Secunda explicatio griphi Pyronarchæ, in quo dicitur a Medico tractari de Febrium Origine generatim. CAP. I. 76.

Interpretatio Scrupi dudum a Cœlio Igiano excogitata, & nouiſſime a doctiſſimo Recalcho ad me tranſmiſſa, ſuperioribus adijcitur. CAP. II. 111.

Expenditur Cœliana declaratio griphi Pyronarchæ. CAP. III. 113.

Peroratio. CAP. IV. & vltimum. 114.

Appendix ad opus Pyronarchæ; in qua deſcribitur hiſtoria lugubris nuperi Fulminis Maſanenſis.

Altera Mantiſſa; in qua proponitur ſimulachrum Fulminis antiquitus in Africa interiori cultum.

FORTVNII LICETI

PYRONARCHÆ LIBER PRIMVS:

In quo proponitur antiquioris Aenigmatis interpretatio Philoſophica DE NATVRA FVLMINVM.

Præfatio ſcribendi occaſionem aperiens, & materiam tractandam attingens.

NVperrime Summi Dei ſpeciali gratia ſoſpes euaſeram ex diræ Luis atrociſſima tempeſtate, quę Patauinam Vrbem multos menſes iactatam pene ſubmerſit; & domeſticos meos omnes (me, nepoteque fratris filiolo ſolis intactis) diu multumque febrium, bubonum, carbunculorumque procellis, famulorum culpa in domum introductis, ad necem propemodum obruit; tholoque templi Seruatoris Numinis vota ſuſpenderam: quum de ſalute potius optata quam ſperata non paucas amicorum congratulationes accipio. Inter quas ea mihi iucundiſſima fuit, quam a doctiſſimo Viro, Iulio Recalcho, in Ferrarienſi Gymnaſio practicæ Medicinæ Lectore Primario, non ita pridem habui; quippe conſociatam pulcherrimo gripho Pyronarchæ; cuius artificioſi Scrupi meditatione mens non mediocrem & admirationem, & voluptatem adepta eſt. In ænigmate difficillimo vidi tractari diligentia, & breuitate mira cunctas fulminum proprietates, omniaque febrium attributa; ſed ſpeciatim vtriuſque cauſſas, & generationes. Gliſcit animus hæc mea cogitata ſtudioſis inuulgare: Faxit Deus vt in eorum vtilitatem cedant.

Proponitur vetus ænigma Pyronarcha. CAP. I.

TEnebricoſum Pyronarchæ griphũ interpretari nunc aggredior, quem ſuperioribus diebus mihi propoſuit enodandum vir eximius hac epiſtola, *Fortunio Liceto Iulius Recalchus Bene Agere. Ad nuntium tuæ bonæ valetudinis, quam in adeo ſaua peſtilentia non amiſeris; ſed integram egregie ſuſtentaueris, Vir excellentiſs. plurimum & mihi gauiſus ſum, & tibi gratulor; quem a multo tempore valde ſuſpicio, & vnice diligo: Nec vero Natalitia feſta proxime accedentia præterire volui, quin Tibi ſalutem impertirem, & hanc meam lætitiam indicarem. Opportunum quoque cenſui cuiuſdam fabellæ vel ænigmatis interpretationem a Te nunc exorare; non ignorans quam mirabili polleas ingenio: Fabula hæc eſt,*

„ Pironarca ex Vulcano & Diſcordia genita eſt.
„ Vulcano menſtruum, & aluum, Diſcordia vero
„ Semen conferente, Hiſque non amore ſed
„ Indignatione ad congreſſum compulſis.
„ Quandocunq; autem Iupiter Pironaicam mittit in mundum
„ Vel incendit, vel etiam tremefacit vniuerſum.

Accipiat D. T. E. hanc meam congratulationem, & ſalutationem, occaſionemque mihi fauorem impertiendi a ſuo beneuolentiſſimo & deuotiſſimo amico. Et viuat felix. Ferrariæ. xiv. Decembris. MDCXXXII.

Quibus lectis litteris, illico reſcripſi Viro Clariſſimo, me ſuis iuſſibus pro virili ſtatim obtemperaturum; licet Oedipus ipſe Dauum me tentaret neſcio an interpellaret. Rogo vt me certiorem faciat de Autore griphi: Non taceo, ſuſpicari me de mendo in dictione *Pironarca*, quæ forte ſcribi debuiſſet ab amanuenſe *Pyronarcha*. Interim ad interpretandum Aenigma ſic me accingo.

Coniectura de Autore, genuina griphi facie, materiaque tractata. CAP. II.

STructura griphi, & nomen Pironarcę, ſeu Pyronarchę nobis inſinuat autorem fuiſſe Gręcum ſcriptorem; & ęnigma metris deſcriptum vno quopiam epigrammate; propoſitamque nobis interpretatu Latinam eſſe Gręcanici poematij translationem ad verbum. Hoc autem gripho ſub myſtica generatione quaſi puellę cuiuſdam ex Vulcano matris officia gerente, ac Diſcor-

concordia patris vim ac munus obtinente, contegi deſcriptionem admirabilem rei cuiuſpiam naturalis, pro certo habui. Nec diu cogitanti mihi, phyſicarumque rerum mirabiles generationes animo repetenti, venit in mentem, ęnigma tractare de naturali fulminis generatione: dumque ſingulas griphi partes intueor; easque ad naturam fulminis comparare fatago, ſemper magis in concepta ſententia confirmor. Quapropter omni rupta mora, ſic ęnigma fulminis Phyſiologus interpretabar.

Fulminis cauſſæ naturales omnes, modus originis, idea, proprietates, & differentiæ, ac effectus admirabiles in Aenigmate Tyronarcha delitеſcentes deteguntur; diligenter explicatis particulis omnibus obſcuri Scrupi. C A P. III.

P I R O N A R C A.

ANtiquorum ęnigmatum conditores fuiſſe viros alta ſapientia conſpicuos, aperte ſatis ex Salomone a conſtat, hortante nos ad audienda ſapientum ęnigmata: Viros autem ſapientes rebus a ſe tractatis conſentanea nomina, illarum eſſentiam, vel proprietates exprimentia, ſemper imponere conſueuiſſe, teſtatur in Cratylo Plato: Quare propoſiti griphi verum ſenſum, germanamque ſignificationem e tenebris in lucem ducere tentaturis, primum Pironarcæ nomen aperiendum eſt. Ante omnia quidem quum Pironarca dicatur ex Vulcano genita; quidpiam ad ignem pertinens ea ſignificari certum eſt; at vero quum ignis Græce ſcribatur πῦρ, iam ſuſpicatus fui mendum eſſe in autographo, vel Amanuenſis, vel etiam primi autoris, qui ſimili quodam affectu ſcriberet, quo pridem ſcripſiſſe Plotinum ſummum Philoſophum memorat in eius vita Porphyrius inquiens, *Quum etiam aliquid ille ſcripſiſſet, quod ſcripſerat reſpicere bis minime tolerabat: ſed neque etiam ſemel legere atque percurrere, propterea quod viſus ei non ſatis ſufficeret ad legendum: dum vero ſcribebat, neque belle quidem litteras figurabat, neque exacte ſyllabas diſtinguebat, neque vllam ortographiæ diligentiam adhibebat; ſoli videlicet intelligentiæ ſtudens; atque id quod omnes admirabantur, id agere ad finem vſque vitæ perſeuerauit.* Ob hæc legendũ cenſui, *Pyronarcha*: cuius nominis etymon deducitur ἀπὸ τῦ πυρὸς, quod Ariſtoteli b maxime flammam ſignificat, καὶ ἀρχῆς, quod primum, ſeu principium,

a Prou. c. 1.

b 1. de gen. t. 28.

cipium, ac principatũ denotat: Vnde Pyronarcha nihil eſt aliud, quam flamma prima, ſeu flamma princeps. Dico flammam primam, ſeu flammam principem, non autem ignem primum; quia quum tria ſint in rerum natura ignium genera; non quidem vt velle videtur in Timæo Plato, flamma, lumen, & pruna; quoniam lumen vere non eſt ſpecies ignis; nam in cœlo, & in aere lumen ineſt abſque igne; lumen enim *c* Lunę frigidum eſſe notauit Albertus, docet experimentum: ſed, vt inquit Ariſtoteles, ignis ſimplex apud *d* Lunam procul ab omni contrario, ibi *e* permanens incorruptibilis; & ignis miſtus geminus; quorum alius eſt flamma ſplendens in aere; alius eſt carbo ſeu pruna deurens in terra: vtrumque corpus eſt miſtum *f* Ariſtoteli a prędominio igneum, flamma quidem cum ſubdominio aerei terreique ſpiritus, quem fumum dicimus; vnde ab Ariſtotele definitur flamma eſſe *g* fumus ardens, ſeu ardor ſicci *h* ſpiritus: Carbo vero, ſeu pruna cum ſubdominio terrę ſolius in denſiori corpore: quod & Theophraſtus confirmat, *i* inquiens, *Igni tamen quod vel ſenſus fide notum eſt, ſiue in elementis numerari debet ſiue non debet, flamma, & carbo ſubijcitur; quum illa fumus quidam ſit accenſus, hic terrena quædam ſoliditas.* Tria ſunt igitur ignium genera, ſimplex elementum, quod ob ſummam ſui raritatem ac tenuitatem viſus aciem ſubterfugiens, ambigitur a multis omnia ſenſu metientibus, an ſit in rerum natura, nec ne; quam opinionem *k* alibi commodiori loco diligenter excuſſimus: flamma, quę fumus ardens, aut ſpiritus ſicci ardor eſt; & pruna, ſeu carbo, qui terrena craſſitie corpus ignitum & vrens eſt. Quorum ignium ordine naturæ primus eſt ille ſimplex in elemento ſupero tenuiſsimus, ob ſummam ſui raritatē, *l* tenuitatemque prorſus inuiſibilis; quem *l* veteres ætheris, & Iouis nomine nuncupabant, vt inquit *m* Phornutus, & veluti omnium dignitate primum, ac principem venerabantur. Secundus ignis eſt flamma; quum enim carbo, prunaque fieri nequeat niſi per combuſtionem miſti denſioris; quumque deuri nequeat miſtum corpus niſi ab ardente flamma in tenuioris halitus materia vigente, quæ terreſtrioris corporis denſitatem permeet; propterea tertius ac poſtremus omnium igniũ eſt carbo, ſeu pruna. Non ergo Pyronarcha eſt pruna, quæ nullo pacto primus ignis, nec princeps ignis appellari poteſt. Si quidem autor ænigmatis ex eorum numero fuerit, qui nullum eſſe cenſent elementum ignis puri ac ſimplicis omnino ſuper elemen-

tum

c 9. de veget. & pl. tr. 2. cap. 9.
d 3. de gen. an. cap. 11.
e 1. Meteo. ſu. 2. c. 1.
e de long. & breui. vit. ca. 2.
f 2. de gen. t. 2.
g 2. de gen. t. 28.
4. meteor. ſu. 3. cap. 2.
h 1. meteo. ſu. 2. cap. 1.
i lib. de Igne.
k 4. de Lucer. ant. c. 34.
l 3. cœl. t. 42.
m de nat. Deo. cap. 42.

cum aeris, facile potuit Pyronarchæ nomine, ſeu ignis primi vocabulo flammam ſignificare. Cæterum etſi ſimplicis ignis elementum agnouiſſet; is illum ignem hic nomine Pyronarchæ nobis non indicauit; quia Pyronarcham aſſerit genitam ex Vulcano, proindeque alio ex igne priore; quum ſimplex ignis ille priorem ſe non habeat ignem alium vllum, ex quo generetur. Sic igitur Pyronarcha noſtra continetur in genere flammæ; propterea que ſimpliciter eſt ſecundus ignis in natura rerum. Pyronarchæ tamen in ænigmate datur epitheton primi, & priuilegium principis, non qua ignis eſt; quia quacumque flamma viſibili prior eſt purus ille ſimplex ignis in elemento ſub Luna ſupra dorſum aeris, vtpote ſimplex miſto: ſed vel qua ignis viſui ſenſibilis, vel potius qua flamma eſt: qua quidem ignis adſpectabilis, quia viſibilium ignium primus, ac maxime princeps eſt flamma; quæ prior eſt, & magis ignis quam carbo: prior inquam & dignitate, & natura; dignitate, quia flamma eſt veluti forma prunæ, & ea rarior, ac minus fœculenta; natura, quia ſubtilioris eſt ſubſtantiæ; quam rationē vel ex Antiquis adducit " Ariſtoteles; eſt itidem flamma magis ignis abſolute quam carbo: quia magis accedit ad naturam ignis illius puri ac ſimplicis quam pruna; proindeque flamma in genere ignis ſenſibilis eſt maxime ignis, vt ait Ariſtoteles perſpicuis verbis ita, • *Confeſſa autem & ſenſui ignis generatio; maxime enim ignis flamma; hæc autem eſt fumus ardens; fumus autem ex aere & terra.* Qua vero flamma eſt, adſcribitur nomen primi, & epitheton principis ipſi Pironarchę; quia tractat Aenigmatiſta nunc proprie de flamma; non tamen de quacunque flamma, ſed de omnium flammarum prima, deque omnium flammarum principe. Quæ vero tot inter flammarum ſpecies, quæcunque ſpectantur in aere ſplendeſcere, prima princepsque dicenda ſit, iam operæ pretium eſt ad ęnigmatis interpretationem diligenter inueſtigare. Profecto quum Natura ſemper a factu facilioribus exordium ſumat; quumque longe facilius ſit excitari flammam in nubibus ex ignea exhalatione condenſata a circumobſiſtenti frigore ac humore, quam intra terræ viſcera a concentrato calore materiam inflammabilem ibi compertam accendente; nam & apud nos aqua calci ſuperiniecta & circumfuſa celerius ex ea flammam excutit, quam Solis radius cum Sirio viuidiſſimus in ſtipula; iam poſt mundum conditum prima flamma, eaque princeps fuit ardens exhalatio e nubibus excuſſa in natu-

" 3. cæl. t. 42.

• 2. de gen. c. 28.

p lib. 5. naturam fulminis. Quam ſententiam non ſolum coluit p Lu-
cretius philoſophus inquiens,

Illud in his rebus tacitus ne forte requiras;
Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitus: inde omnis flammarum diditur ardor.

Verum etiam Poetę nobis eam ſub varijs apologis propoſuerunt;
q 1. de ge- in primis etenim apud q Boccacium relatu Theodontij Prona-
neol. Deor. pides poeta vetuſtiſsimus in ſuo Protocoſmo deſcribens origi-
cap. 3. nem Mundi, refert Chaos parto ſui primo filio Litigio, ignita
exhalaſſe infinita ſuſpiria; quę nihil aliud ſunt quam fulmina.
r Lucian. Deinde vero paſsim fabulantur, r Prometheum eſſe primum in-
in Prom. uentorem ignis, quem e cęlo furatus in terras detulerit, ob quod
facinus a Mercurio fuerit alligatus Caucaſo monti ad multum
temporis; nonniſi quia Vir ille contemplationi cœleſtium ac Me-
teororum diu vacans in altiſsimo Monte, pręſertim naturam ful-
minum edoctus, inde mortales docuit e ſilicum mutuo percuſſu
fauillas ignium ad ſtipulas inflammandas excitare; qua flamma
mox incœperint homines vti ad ſua commoda; quum prius po-
mis, & fructibus terrę, lacteque pecudum & carnibus alerentur
ſ exod. cap. citra miniſterium ignis; (quem priſcum morem indicat ſ Moy-
12. ſes præcipiens Hebræis ne comederent agnum, aut hædum Pa-
t 4. de ge- ſchatis crudum) Id autem apud t Boccacium *Theodontius ait de*
neol. Deo. *Prometheo ſe legiſſe, Iapeti filium hunc in verticem Caucaſi ſeceſſiſſe,*
cap. 44. *ex quo longa meditatione & experientia percepto aſtrorum curſu pro-*
curatisque naturis fulminum & rerum plurium cauſſis, ad Aſsyrios re-
u lib. 7. c. *diſſe; eosque Aſtrologiam docuiſſe, et procurationes fulminũ.* Quin &
56. Plinius u inquit, Prometheum primo docuiſſe ignem e ſilice pro-
uocatum ferula ſeruare. Sed & Phornutus x ait, *Deinde Prome-*
x de nat. *theum ignem e cęlo detuliſſe ferunt, quod illinc oriantur tonitrua, ictu*
Deor. *hac noſtra accendentia; & fortaſsis tale quippiam per ferulam adum-*
brat. Ceterum huic rei mire ſuffragantur ſacra teſtimonia; ſi-
quidem in primis illis orbis incunabulis præcipitatus Lucifer e
cęlo cum Angelis improbis dicitur fulminibus deiectus in Bara-
y cap. 41. thrum; quum hęc a Iob habeamus, y *Mittet contra eum fulmina,*
Cypr. de ie- *& ad locum alium non ferentur: Cor eius indurabitur quaſi lapis, &*
iun. chri. *ſtringetur quaſi malleatoris incus: Quum ſublatus fuerit, timebunt*
Aman. de *Angeli, & territi purgabuntur:* & apud z Lucam Dominus, *vi-*
fug. ſec. c. *debam Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Hęc certe per meta-
7. Chryſoſt. phoram dicuntur; ſed tamen ea metaphora ſatis indicat primum
hom. 13.

ignem

ignem in Mundo fuiſſe fulmen, vel ſaltem fulminis imaginem. Sed & ſine metaphora legimus a Moſe Mundi geneſim deſcribente, *a* *Et emiſit eũ Dominus Deus de paradiſo voluptatis vt operaretur terram de qua ſumptus eſt: Ejecitque Adam, & collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Vt autem veriſimile ſatis eſt flammeum gladium hunc verſatilem fuiſſe fulmen, ſemper ad manus Cherubim, ab Angelo illo loci cuſtode iaciendum in Adam, ſi tentaſſet adire denuo locum, vnde pulſus fuerat, vetitumque ſibi paradiſum repeteret: Ita probabile ſatis eſt, antiquos poetas ex horum locorum praua intellectione, ſibi confinxiſſe fabulam de *b* Gigantibus terræ filijs a Ioue fulminatis, quod auderent & conarentur cęlum conſcendere, ac Deo ſeipſos æquales reddere; nam & Luciferi, & Adæ par votum fuiſſe videtur; illo geſtiente ponere ſedem ſuam ad Aquilonem, eſſe *c* ſimilem Altiſsimo: & hoc exoptante eſse *d* ſicut Deus per cognitionem boni & mali: & vtriſque *e* fulmine, ac igne *f* deiectis e ſtatu felicitatis in miſerias: quum Homo e terra plaſmatus a Deo, terræ filius ac Titan poetis dici potuerit; quod Lucifero, & Angelis eius non competit. Præterea vero legere licet in eadem hiſtoria ſacra, *g* *Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Caim autem, & ad munera eius non reſpexit. Iratusque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Intellexit autem Cain, vt ait *h* Pererius, Deo placuiſſe oblationem Abel, non autem ſuam, ſigno quodam externo; quod non fuit aliud, quam vt docet Diuus *i* Hieronymus, de cęlo repente immiſſo igne cremaſſe Deum, & conſumpſiſſe ſacrificium Abel, intacta prorſus oblatione Cain: id quod ſecutus Theodotio, ſic hunc locum vertit, *& inflammauit Dominus ſuper Abel.* Huiuſmodi vero miſſiones ignium de cęlo a Domino, eſſe fulmina, colligitur alio loco, *K* vbi *Iacobus, & Ioannes dixerunt, Domine, vis dicimus vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* Gloſſographus ait, *Ad ſermonem iſtorum ignis de cœlo deſcendiſſet; quia ſunt filij tonitrui;* fulmen enim tonitrui ſoboles eſt, vt conſtat ex * Ariſtotele. Sapienter itaque fulmen in ænigmate dicitur Pyronarcha, quia eſt flamma prima. Fulmen autem dici Pyronarcham etiam, quia ſit flamma flammarum princeps, ex eo patet, tum quod Principi rerum omnium ſummo Deo tribuitur, ac deſeruit, velut inſtrumentum ſibi peculiare, non ſolum ad comburendas hoſtias ſibi gratas; verum etiam ad puniendos

ſontes

de par. Hieron. ad. c. Iouinian. Greg. lib. 9. epiſt. 58. & alij multi PP.

z cap. 10.

a Geneſ. 3.

b Homer. 11. Odyſſ. Ouid. 5. Metam.

c Iſai. 14. Aug. t. 4. q. 113. D. Th. 1. p. q. 65. a. 3.

d Geneſ. 3.

e Iob. 41.

f Geneſ. 3.

g Geneſ. 4.

h lib. 7. in Geneſ. c. 4.

i trad. Hebr. in Geneſ.

K Luc. c. 9.

* de mũd. cap. 3. 3. meteo. ſu. 1. c. 1.

ſontes:tum quia fulmina feriunt celſa Principum capita frequentius, quam humilem plebeculam; dum a Deo conſulto, ac dedita opera vibrantur, & non oriuntur ſolum ex neceſſitate materiæ: vnde mos inoleuit, Imperatores antiquos lauri fronde coronari; quæ fulminibus non attingi putatur, Pierij Valeriani teſtimonio, *l Accedit & illud*, inquit, *ad ſoſpitamentum quod eius arboris folia fulmen non icit; eaque de cauſſa Tiberius, quum fulmina coruſcationesque ſupra modum expaueſceret, cælo turbato lauream ſibi ſolitus eſt imponere*. Plinius etiam in eandem ſententiam prius *m* dixerat, *Et quia manu ſatarum, receptarumque in domos, laurus fulmine ſola non icitur, ob has cauſſas equidem crediderim, honorem ei habitum in Triumphis potius, quam quia ſuffimentum ſit cædis hoſtium, & purgatio, vt tradit Maßurius*. Quin & dum inanimatas res iciunt, dediguantur humiles, ſemperque feriunt celſos fulmina montes; cuius rei cauſſam Seneca proponens ait, *n Quare frequenter cacumina montium feriuntur? quia oppoſita ſunt nubibus & e cælo cadentibus, per hæc tranſeundum eſt*: Ego vero potius dixero, quia fulmina non feruntur deorſum ad perpendiculum, ſed tranſuerſa linea truduntur ad centrum; quo fit vt in tranſcurſu raro admodum non impingant in eminentes montium vertices, qui per aera paſſim extolluntur. Sic ergo Pyronarcha griphi nobis eſt flamma prima, & flamma princeps; adeoque fulmen; quod eſt flamma inter ignes in rerum natura primum viſa, & inter ignes viſos primum genita; & Dei principis telum quod in principes homines malos detorquere ſolet. His maxime fauere videtur Rhodiginus, cui *o Pyros, id eſt πυρὸς fulmen eſt, quod præter item dicitur, quod inoritur ſpiritu deorſum lato ſuccenſoque: ſicut ſceptus, qui & catabates, ſpiritu ignito craſſeſcente: Helicias vertigines facit per craſſitudinis media & humectationis, acris denſitate intruſus*. Vt huic autori Pyronarcha non ſolum fulmen, ſed fulmen primum, ſeu fulmen princeps dici debeat. Sin autem placeat legere ſine aſpiratione, Pyronarca; id nomen itidem nobis fulmen indicabit; primo quidem, quod iam Aenigmatiſta potuit conſulto detrahere notam adſpirationis, & vti κ pro χ; potuit & interpres Latinus idipſum præſtare, quoniam hoc effingitur nomen muliebre, quod molliter erat pronunciandum, adſpiratio namque robur ac firmitatem maſculeam adhibet nominibus; qua ratione ſicuti notauimus *p* olim ab Helio Eliam cognominari recte; ſic in præſentia denominari poteſt Pyronarca pro Pyronarcha;

l Hierogl. 50.

m lib. 15. cap. 30.

n 2. nat. qu. cap. 58.

o 11. ant. lect. cap. 26.

p 2. el. lec. cap. 6.

& eo magis, quod obſeruatione Cāteri, q *nemo turbari debet ſi Fe-* q 1. nou. lect. cap. 2.
ſtus ἀπὸ τῶν φιλτῶν deducit verbum Pilare; tametſi prima vtriuſ-
que litteræ ſint diſsimiles; nam aſpiratæ in tenuem mutatio frequens in
talibus contingit; vt Feſtus in verbo Picati docet; quum quod Græci
φῖκα id Latini Picum dixerint: alioqui nemo neſcit Aeoles aſpiratæ
tenuiter efferre ſolere: ſimiliter φάσκωλον Latini Paſcolum dixere:
& his adſtipulatur Adrianus Turnebus in Aduerſariis. Potuit igi-
tur impune tum Autor Græcus ad indicandam flammam pri-
mam, ſeu principem, hoc omnino fulmen vti nomine Pyronarcæ
pro Pyronarcha, & interpres Latinus vertere πυροναρχὴν in Py-
ronarcam ſine aſpiratione. Cæterum & ſine tali venia Pyronar-
cæ nomen apte nobis fulmen indicat alia ratione, quia Pyronar-
ca deduci potuit ἀπὸ τοῦ πυρὸς, quód eſt flamma, καὶ ἀρκὴς,
quod Heſychio ſignificat idem quod *velox*; ignis autem velox,
ſiue flamma velox per antonomaſiam eſt fulmen; id enim eſt
flamma velociſſimo motu delata ab aere ſummo ad infimas ter-
ras. Deduci quoque poteſt etymon Pyronarcæ ἀπὸ τοῦ πυρὸς,
quod ignis eſt, ſeu flamma; καὶ νάρκης. vel νάρκας, quod Tral-
liano torporem, vel ſtuporem membrorum ſignificat; vt Pyro-
narca ſit flamma ſtupefaciens, ſeu ignis torporem aduehens; ad-
eoque fulmen; de quo tum Cœlius r Rhodiginus in antiquis le- r lib. 9.
ctionibus, *Dignum porro memoratu, quod in Tagis Thuſci libris eſt ob-* cap. 29.
ſeruatum, Tangendos mox fulmine adeo hebetari, vti nec tonitru, nec
profundos fragores alios queant perſentiſcere: quod in Germanicis bel-
lis Seuero, bellaciſsimo alias equitum magiſtro, vſu veniſſe, Iuliano
imperante legimus; qui acer prius, & induſtria inſignis, fato vrgen-
te commacruit. Id ipſum antea Plinius aſſeuerat ſ inquiens, *etiam-* ſ lib. 2.
num ſpiritum ocyorem fulmine; ideo quati prius omne & afflari, quam cap. 54.
percuti; nec quemquam tangi, qui prior viderit fulmen, aut tonitru au-
dierit. * Seneca pariter in eandem ſententiam ait, *Nemo vnquam*
fulmen timuit, niſi qui effugit. Itaque Pyronarca, quæ flamma * 2. nat. q.
ſtuporem, torporemque promouet, nihil aliud eſt quam fulmen. cap. 59.
Denique vero, quia libentiſſime ſeruamus litteram textus in-
uiolatam, non recedendam putamus a nomine Pironarca; quod
exiſtimamus deductum ἀπὸ τοῦ πυῤῥὸς, id autem Dioſcoridi
fuluum ſignificat; καὶ νάρκης; vel νάρκας, quod ſtuporem, ſeu
torporem indicat; vt Pironarca ſit idem quod fulua-ſtupefa-
ciens, ſeu fulua-torporum-membris-aduehens. quod nulli alteri
rei quam fulmini competit; quod nomen in ænigmate maxime

ſeruat decorum Scrupi: Nec difficultatem vllám facit ρρ geminatum in voce πυῤῥός, quod non geminatur in nomine Pironarca; quoniam muliebre nomen leniter enunciandum erat, non aſpere; ſic enim violaſſet Poeta decorum puellam Pirronarcam nuncupans. Itaque Pironarca eſt fulua-ſtupefaciens, ac omnino fulmen. Quod ſi Pironarca deducatur ἀπὸ τοῦ πυῤῥός, καὶ ἀρχὺς, quod Heſychio *velox* eſt, erit *fulua-velox*; id autem dicitur eſſe fulmen per excellentiam; cuius eſſentia potiſſimum ſita eſt in fulgore flammeo, qui fuluus eſt, & perniciſſimi motus velocitate.

EX VVLCANO.

ᵗ 9. Aeneid.

VVlcanum Ioui gignere fulmina, nemo Poeta non dicit; aſt inter omnes pulcherrime ᵗ Virgilius. Ceterum Aenigmatiſta noſter originem Pyronarchæ, ſeu generationem fulminis ſub metaphora puellæ infantis abſcondens, quæ proprijs parentibus procreetur; determinat illius cauſam tum materialem, non ſolum remotiuſculam, ſeu mediatam; cui tribuit officium matris; ſed etiam proximam, & immediatam; quam appellat nomine menſtrui: tum effectricem; eamque pariter, & remotam; cui dat officium maſculi, ſeu patris generantis; & propinquam, ſeu proximam; quam ſemen appellat: Quin & aſſignat etiam locum, in quo fit generatio, quem aluum nuncupat: Poſtremo perſequitur cauſſas eiuſdem fulminis formales, & finales, ſimul referens tempus generationis, ac differentias, & præcipuas operationes, breuiſſimo quidem, & obſcuriſsimo ſermone, qualem decet ænigma; ſed in quo nihil omittatur eorum, quæ ad exactam fulminis naturam deſcribendam neceſſaria videntur; qualem decet Griphum philoſophicum. Age ſingula verba Scrupi diligenter explicemus. Certe Vulcani nomine nunc deſignatur ignis, ſeu ab Inuentore ſuo, ſeu potius ab eo, qui reperti prius a Prometheo ᵘ ignis varios vſus docuerit mortales in pangendis plurimis rebus artificioſis, Vulcanus appellatus: nihil enim abſurdum eſt vtrumque ſic ignis inuentorem ſalutare. Niſi dicamus etiam, Prometheum fuiſſe inuentorem ignis Aſsyrijs, vt conſtat ex ˣ Theodontie; Vulcanum autem Aegyptijs; vt conteſtatur ʸ Tzetzes his verbis,

ᵘ Mythol. cap. 6. 2.

ˣ Boccat. 3. Gen. Deo. cap. 44.

ʸ 2. chiliad. ſu. 1. t. 355.

Vulcanus quidam Aegyptius in temporibus Noe,

Qui

Qui Noe Dionyſius, atque Oſiris vocatur:
Inuenit ignem, atque artes ex igne quotquot ſunt.
A Vulcano igitur ignis quia inuentus eſt,
Vulcanum & ignem dicimus cum inuentore, ex æquo.

Nimirum, quemadmodum Noe qui primus fuit inuentor [a] vini, dictus eſt Dionyſius, ſiue Bacchus, atque Oſiris; nam apud Macrobium in Saturnalibus, † idem eſt apud Aegyptios Dionyſius, Bacchus, Oſiris, & Sol: & ſane Noe miram cum Baccho retinet ſimilitudinem, tum quod inuentor vini, & vineæ primus cultor extiterit; tum quod bis natus eſſe videatur; primum quidem ex matre terrena; deinde vero ex patre Deo, quo ſeruatus ab inundatione totius orbis, quaſi renatus eſt: & ſane Theodoretus aſſerit [a] antiquos ea de Baccho teſtari, quæ Moyſes de Noe, ſic, *Bacchum vero, quod autor ſerendæ vitis extiterit, vuaque compreſſa vini vſum oſtenderit, in ceterorum Deum ordinem tranſcripſerũt.* Quum Moſes dicat. *cœpitque Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam, bibensque vinum inebriatus eſt.* quare priſci Noe Bacchum appellarunt, & diuinis honoribus coluerunt, ob inuentum vinum. Ita Vulcanus, quod fuerit apud Aegyptios inuentor ignis, pro igne ſumitur, ac pro Deo colitur; quemadmodum Bacchus vini repertor pro vino ſumitur, atque pro Deo veneratur; de quo ſic Euripides in Bacchis,

. . . . . . Semele ſatus
Potum racemi reperit mortalibus
Ac protulit; mæroris ille nubila
Fugat repletis vineæ liquoribus.

Prometheus autem licet inuentor ignis apud Aſſyrios celebretur; nec pro igne ſumitur, nec pro Deo colitur; quia ſuam illam ignis inuentionem ſecuta ſunt omnia mala mortalibus ex vaſe Pandoræ proſilientia; pro Deo ſiquidem non facile priſcis habebatur, niſi qui ſuis inuentis homines iuuabat. Ait ergo noſter Aenigmatiſta, Pyronarcham ex Vulcano genitam eſſe, propterea que flammam primam, ſeu fulmen, ex igne ſuam originem ducere; quod & Seneca notauit inquiens, [b] nullum ſine igne fulmen venire. Ceterum quum flamma gigni valeat ab omni genere ignis; etenim & ab igne ſimplici, & a flamma, & a pruna, ſiue carbone: ab igne quidem ſimplici, quia non ſolum ſi ſurſum ad elementum ignis quomodocumque delata, vel impulſa fuerit exhalatio pinguis inflammabilis, cõtactu ſimplicis illius ignis pro-

[a] Geneſ. cap. 19.
† lib. 1. cap. 18. & 21.
[a] lib. de dijs & Ang.
[b] 2. nat. qu. cap. 4.

tinus accenditur in flammam ſeu cometæ, ſeu ſideris diſcurrentis, ſeu corruſcationis: verum etiam, ſi motu cœleſti pars aliqua ſuperioris ignis circumrapti violente detruſa in aerem inferiorem, impingat in exhalationem inflammabilem, eam incendit; vt ex Ariſtotele [c] nos olim fuſe demonſtrauimus in opere de Nouis [d] Aſtris & Cometis; quam theoriam non eſt vt hic repetamus. A flamma quoque flammam procreari, quotidiano conſtat experimento, quo conſpicimus a flamma candelæ flammam nouam in noua facula cerea excitari; quin & Ariſtotelis animaduerſione, lucernæ nuper extinctæ fumus aſcendens, ſi tangat flammulam alterius lucernæ ſuperiori loco ardentis, ab ea protinus inflammatur; ait enim, [e] *Quæ ſub lucernis poſita exhalatio a ſuperiori flamma accendit inferiorem lucernam.* A pruna pariter flammam gigni, notiſſimum eſt; ſi namque carbonem ignitum proieceris in pyrium puluerem, næ ſtatim flammam ingentem excitabit. Sed & ardens pruna partes ſui tenuiores & halituoſas euomit, ac potius parturit in flammas; paucas quidem, quia vt ait [f] Theophraſtus, *Carbo flammam præter admodum paucam non gignit, propterea quod in eo magna vis humoris non eſt, qui in aerem mutetur; humor enim igneſcens flamma eſt:* flammas tamen parit ac edit ex ſe ſe carbo, magnitudine multitudineve proportionatas humori contento; qui ab igne primum vertitur in aerem fumoſum, ſeu fumidam exhalationem; quæ mox ardore concepto flamma euadit. Nec putes flammam eſſe humorem immediate igneſcentem; quum [g] ſupra ſatis explicuerit ſe Theophraſtus. Ignis etiam ille ſimplex excelſior aere ſi quauis de cauſa denſetur, & in craſſiorem conſiſtentiam cogatur, euadet flamma viſui conſpicua. Quapropter ex allatis apparet manifeſte, carbonem ſeu prunam in genere ignis miſti, & ignem elementi ſimplicem eſſe valere cauſſam flammæ tum effectricem, tum etiam materialem: at vero flamma proxime gigni nequit ab alia flamma niſi vt ab effectrice cauſſa, non autem vt ex materiali; quia materia, ex qua quid gignitur, neceſſario ſibi coniunctam habet priuationem formæ producendæ; proindeque flamma generari nequit immediate niſi ex non flamma; vt probat [h] Ariſtoteles; flamma vero vt flammæ priuationem adiunctam habere non poteſt, ita non flamma eſſe nequit. Sic ergo flamma ex Vulcano generari valet, quia ex omni genere ignis exoriri poteſt; nam etſi flamma ex flamma proxime generari nequeat, vt ex materia immediata; gi-

[c] 1. meteo. ſu. 1. cap. 4. & ſeqq.
[d] lib. 3. cap. 3.
[e] 1. meteo. ſu. 2. cap. 1.
[f] lib. de Igne.
[g] Init. lib. de Igne.
[h] 1. phyſ. t. 43. & ſeqq.

ta; gigni tamen ex ea poteſt vt ex materia mediata, ſeu remota; quia ſi ſcandens e flamma fumus exhalatio ſit non rariſſimæ ſubſtantiæ, iam is nullo negotio poterit inflammari; quod contigiſſe teſtatur [i] Ariſtoteles in conflagratione templi Epheſini; vbi ſecedens fumus a flamma rurſus inflammabatur; & videbatur flamma domos inuadere, quas impetebat ille fumus iterum ignitus. Verum enim vero Vulcanus & ignis in hac generatione myſticæ Pyronarchæ, ſeu flammæ principis, quæ fulmen dicitur, quum habeat rationem cauſæ materialis, & materiæ non immediatæ ſeu proximæ, ſed mediatæ, ſeu remotiuſculæ, nam gerit vices matris; quum materia proxima generandæ ſobolis non mater ipſa ſit, ſed menſtruum ab ea proueniens: iam Vulcani nomine poſſumus omne genus ignium intelligere; purum ſcilicet ignem in elemento ſimplici, & flammam, atque prunam extra ſimplex elementum collocatas. Porro ſimplicem ignem elementi ſupremi materiam dare fulminum generationi, ſententia fuit Anaxagoræ, Anaximandri, & Ariſtotelis; cum hoc tamen diſcrimine; quod Anaxagoras, & Anaximander (vt referunt [k] Ariſtoteles, [l] Plutarchus, & [m] Seneca) putant omnia fulmina fieri ex portione ignei elementi deſcendente ſponte in nubes, & ibi diu ſeruati ad fulminum generationem: Ariſtoteles opinatur aliqua tantum, eaque pauca fulmina gigni ex portione ignei elementi violente præcipitata in nubes; & ab eis illico compreſſam ſtatim emicare in fulmen; quum alia plurima fulmina fieri cenſeat ex igne, ſeu flamma, ſeu pruna intra terræ ſinus ardente, furſumque fumidas exhalationes excernente; quæ tandem intra nubium conſiſtentiam in aere medio comprehenſæ protinus in flammam ardeant, concedentes in materiam fulminum: De qua ſane duplici fulminum materia loquitur aperte ſatis Ariſtoteles, inquiens exceptis verbis, [n] *Primo enim ſub circulari latione eſt calidum & ſiccum, quod dicimus ignem: ſub hac autem natura aer. Qua igitur maxime oportune ſe habeat talis conſiſtentia, quando a circulatione mota fuerit aliqualiter, exuritur, & concedit in varias differentias meteororum ignitorum*; inter quæ principem locum habent fulmina; quæ vt nonnunquam fiunt ex altiſſimo igne detruſo in nubes; ita fieri ſæpiſſime contingit ex fumida exhalatione furſum de terra ſcandente, atque a nubibus, aeris mediam regionem obſidentibus, intercepta prius quam in ſuperius elementum ignis aſcendat; Quod in fine capitis Ariſtoteles indicat apertius, dum colli-

[i] 1. meteo. ſu. 1. c. 1.

[k] 2. meteo. ſu. 4. cap. 2.

[l] 3. de plac. phil. c. 3.

[m] 2. nat. qu. cap. 12. 19.

[n] 1. meteo. ſu. 2. cap. 1.

colligit, *Omnium itaque horum* (loquitur de Meteoris ignitis, inter quæ fulmina comprehendit) *cauſſa vt materia quidem, exhalatio*; quę tum in elemento ſuper aerem continetur; vt antea notauerat; tum de terra ſurſum iugiter aſcendit: quapropter ad fulminis generationem illa debet deorſum in nubes trudi a motu cœleſti violenter ignem, in ſuo loco ſurſum quieſcere geſtientem, circumrotante, repugnantemque diſpergente in aerem: hæc vero debet a nubibus cogi denſarique in flammam viſibilem; quare duo hæc mouentia ſubnectit immediate Philoſophus addens, *Vt autem mouens, aliquando quidem qua ſurſum latio* (ecce fulmina gignenda ex igne ſuperioris elementi) *aliquando autem aeris concreſcentis coagulatio*: ecce fulmina generanda ex igneo halitu, fumoue de terra ſurſum in aerem aſcendente. De qua pariter duplici materia fulminum meminerunt etiam Poetæ, Vulcano fulminum fabricatori duplicem locum, ſeu officinam tribuentes; in cœlo nimirum, & ſub terra; nam apud Lucianum [o] Vulcanus de Prometheo conqueritur, *eo quod compilato igni, gelidam ſibi officinam reddiderit*; modo Prometheus abſtuliſſe dicitur ignem de cœlo, non autem de terra; quare Vulcanus vnam officinam fulminum habet in cœlo, nimirum in ſublimi; cœli namque nomine donatur etiam aer, & ignis elementum. Virgilius autem de ſubterranea fulminum officina Vulcani talia concinit, [p]

Inſula Sicanium iuxta latus Aeoliamque
Erigitur Lyparen, fumantibus ardua ſaxis:
Quam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis
Antra Aetnæa tonant; validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum: ſtriduntque cauernis
Stricturæ chalybum; & fornacibus ignis anhelat.
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.
Hoc tunc ignipotens cælo deſcendit ab alto.
Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus iam parte polita
Fulmen erat, toto Genitor quæ plurima cælo
Deijcit in terras: pars &c.

Vulcani ergo nomine, ex quo genita dicitur Pyronarcha, nunc noſter Autor intelligit ignem tum in elemento ſupra totum aerem ſito, tum etiam intra terram concluſo; quibus duobus in locis Vulcanus dicitur a Poetis habere officinam, in qua ſummo Ioui ful-

[o] in Prometh.

[p] 8. Aeneid.

ri fulmina procreat; etenim fulmina fiunt non ſolum ex hypeccaumate de ignis elemento deorſum truſo in aerem; ſed etiam ex fumida exhalatione de terra ſurſum aſcendente in eundem aerem medium nubibus obſeſſum.

ET DISCORDIA.

PRoponit hic Aenigmatiſta cauſſam aliam Vulcano cooperantem in generatione Pyronarchę, nempe cauſſam effectricem, quam Diſcordiam vocat. Sane Diſcordiæ meminit in generatione fulminis inprimis Cicero ſcribens, q *Si autem nubium conflictu ardor expreſsus ſe emiſerit, id eſse fulmen*; nihil enim aliud eſt nubium conflictus, quam Diſcordia, vel diſcordiæ ſoboles. Deinde clare r Lucanus ita, (q 2. de diuinat.)

Fulminibus propior terræ ſuccenditur aer, (r 2. bell. ciu. vers. 269.)
Imaque telluris ventos, tractusque coruſcos
Flammarum accipiunt; nubes excedit olympus,
Lege Deum, minimas rerum Diſcordia turbat,
Pacem ſumma tenent.

Deinceps clarius Seneca talibus documentis, ſ *Quid ergo? honeſtius iudicas deiectione animi perire quam fulmine? eo itaque fortior aduerſus cœli minas ſurge; & quum mundus vndique exarſerit, cogita te nihil habere de tanta mole perdendum: quod ſi tibi parari credis illam cœli confuſionem, illam tempeſtatum Diſcordiam; ſi propter te ingeſtæ illiſæque nubes ſtrepunt, ſi in tuum exitium tanta vis ignium excutitur: at tu ſolatij loco numera, tanti eſse mortem tuam: ſed non erit huic cogitationi locus: caſus iſte donat metum: eſt inter cætera hoc quoque commodum eius, quod expectationem tuam antecedit: nemo vnquam fulmen timuit, niſi qui effugit:* nam qui fulmine percutiuntur, ideo timere fulmen nequeunt, quia præcedente fulmen ſpiritu ſtupidi redduntur adeo, vt ipſum nec videant fulgidum, nec audiant obſtreperum; quod ſupra notauimus ex t Plinio, & u Rhodigino. Deinque talis Diſcordiæ clariſſime omnium meminit Lucretius his metris, x (t lib. 2. cap. 54.) (u lib. 5. cap. 29.) (x lib. 6.)

Tum variæ cauſsa concurrunt fulminis omnes,
Nam fretus ipſe anni permiſcet frigus & æſtum;
Quorum vtrumque opus eſt fabricanda ad fulmina nobis,
Vt Diſcordia ſit rerum magnoque tumultu,
Ignibus, & ventis furibundus fluctuet aer.

Sed agè nos diligentius aperiamus quæ ſit iſta Diſcordia fulminum procreatrix. Qua quidem in re profectò ſi ſermo ſit de fulmine, quod generatur ex fumida exhalatione ſurſum excreta ab igne deliteſcente intra terræ cauernas; in tali functione cooperatur, ſeu potius congreditur ad fulmen procreandum Antiperiſtaſis; quæ neceſſario requiritur ceu cauſa efficiens ad fulminis generationem; niſi enim vndique circumobſiſteret exhalationi fumidæ, quæ ſpiritus eſt calidus & ſiccus, denſa nubium conſiſtentia, quæ frigido & humido vapore nituntur; nunquam halitus ille fumidus micaret, ac excuteretur in fulmen: quod ſiquidem y Lucanus comminiſcitur ſine nube fulmen his metris,

y 1. Pharſal. ver. 330. & ſeqq.

Fulgura fallaci micuerunt crebra ſereno,
Et varias ignis denſo dedit aere formas:
Nunc iaculum longo, nunc ſparſo lumine lampas
Emicuit cælo, tacitum ſine nubibus vllis
Fulmen, & Arctois rapiens de partibus ignem,
Percuſſit Latiale caput.

aut verum fulmen non fuit, ſed coruſcatio; aut potius merum poetæ commentum nulla phyſica ratione vallatum: aut per hyperbolem ſine nubibus dixit fulmen, quod ſereno die ſine imbre decidit ex vnica nube totum aerem, totumquè diem non obtenebrante; quod genus fulminis rariſſime fit, & portentis a Plinio † numeratur. Antiperiſtaſis autem quum nihil aliud ſit, quam circumobſiſtentia contrarij validioris cogentis contrarium debilius in ſeſe coarctare, vnde viribus collectis validius effectum naturam mutet; rectiſſime dicitur Diſcordia; quoniam eius idea & eſſentia tota conſiſtit in contentione ac pugna contrariorum: & in propoſito noſtro fulminis, Antiperiſtaſis eſt circumobſiſtentia nubis aquoſæ denſioris exhalationi fumidæ rariori; quæ circumobſeſſa vndique ſeſe colligit in arctum; talique collectione vires eius intenſiores efficiuntur, ac ſubſtantia tranſmutatur in ignem; quum itaque talis Antiperiſtaſis vniuerſam eſſentiam ſuam ſitam habeat in contentione ac pugna vaporis aquei denſiorem in nubem concreti cum exhalatione ignea, proueniens ab eorumdem contrarietate, ac diſſidio; ſcite nuncupatur Diſcordia. Sed & eo congruentius Aenigmatiſta dedit effectrici cauſſæ fulminum Diſcordiæ nomen, tum quod olim Empedocles omnium euentuum naturalium cauſſam procreatricem voluit eſſe Litem, ſiue Diſcordiam, vt patet ex Ariſtotele

† lib. 2. ca. 51.

ſtotele

ſtoteles z non vno in loco: tum quod multo verius a Ariſtoteles ipſe cauſſam productricem omnium phyſicorum effectuum oſtendit eſſe contrarietatem. Cæterum & huiuſmodi Diſcordiæ in generatione fulminum meminit etiam Plinius b nomine luctatus, inquiens, *Et ſi in nube luctetur flatus aut vapor, tonitrua edi; ſi erumpat ardens, fulmina*. Sin etiam tractemus de fulmine genito ex hypeccaumate truſo ex elemento ignis deorſum in nuboſam conſiſtentiam mediæ regionis aeris; conſimiliter huic fulminum generi procreatio eſt a Diſcordia; nimirum ab eadem Antiperiſtaſi, circumobſiſtentia ve vaporis aquei multi denſioris nubis, comprimentis vndique, cogentiſque portionem illam ignei elementi rarioris ſubſtantiæ in denſiorem corpulentiam flammæ viſibilis, eamque violenter extrudens ad inferiores mundi plagas, eo igne fruſtra contranitente ſurſum ad naturalem ſibi locum aſcendere; vt ait Ariſtoteles c pluribus in locis. Quin & ad horum fulminum generationem concurrere videtur Diſcordia inter ignei elementi partes in loco leuium ſuper aerem conquieſcere geſtientes, vt puta in loco proprio, & cæli motum, ſeu cæleſtem orbem, qui plurimas ignei elementi partes violente deorſum aſſidue pellit in aera, locum illis præternaturalem; vt docuit etiam Ariſtoteles; d qua de re nos paullo poſt, & e alibi fuſius. Quæ quidem partes ignis vt cœlo ſereno ſine nubibus in aerem detrudi poſſunt; ita ex aere in terras ſub ſpecie fulminis abſque nubibus cœlo ſereno detrudi minime poſſunt; quicquid cum f Plinio ſenſerit g Lucanus; etſi Plinius in eo quoque deliquerit, quod ait poſſe in nubes decidere ſuperne ſtellarum ignes; quum nec ſtellarum ignes vlli ſint, nec e globis cæleſtibus quidquam corporei deſcendere queat in regionem elementariam.

z 1. phyſ. t. 48.
1. de part. c. 1.
1. meta ſu. 2. c. 2.
3 meta. t. 25.
a 1. phyſ. t. 55. 56.
b lib. 2. c. 43.
c 1. meteo. ſu. 2. cap. 1.
2. meteo. ſu. 4. cap. 1. & 2.
3. meteo. ſu. 1. cap. 1.
d 1. meteo. ſu. 1. c. 4.
e 4. de Lucer. antiq. cap. 21.
f lib. 2. c. 43.
g 1. Phatſal.

GENITA EST.

FVlmina quum multifariam fieri valeant, & ſecundum naturam a cauſſis phyſicis, quæ productio fulminis eſt proprie h dicta generatio: & ſupra naturam a ſummo Deo, ſine cauſſarum ſecundarum interuentu; quæ dicitur creatio: & infra naturam ab arte, quæ ſtuduit etiam in fulminum productione, quemadmodum in rebus alijs, naturam imitari; quæ dicitur i effectio, ſeu efficio fulminum: & demum contra naturam a cacodæmone; quæ vocatur præſtigium, & illuſio. Profecto de fulminum creatione poſſunt intelligi verba κ Iob, quibus ante mundum conditum ait a ſum-

h 2. phyſ. t. 14.
i 6. meta. t. 1.
κ cap. 41.

mo Deo fulminibus deiectum e cælo Dæmonem, & Angelos territos timuiſſe, dum ait, *Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur: Cor eius indurabitur quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus: Quum ſublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi*
l Lucæ c. 10. *purgabuntur.* Quam ſententiam innuit etiam Dominus l inquiens, *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cęlo cadentem.* De fulminis autem
m in Nubib. effectione ab arte Naturam æmulari geſtiente non ſolum m Ariſtophanis Interpres aſſerit prouerbium, *Oppedere contra cæli tonitru*, natum ex artificio quodam in ſcena repreſentari ſolito, lapidibus ex amphora in vas quoddam æreum præcipitatis, atque ita tonitrui ſtrepitum imitantibus; vt hoc ſit velut obſtrepere
n Adagio. gr. tonitruis: verum etiam n Diogenianus, paræmiam recenſet, *Fulgur e pelui*, qua ſatis apparet fulguris imitamenta quædam ad terrendum e vaſculis vitreis Soli obuerſis vibrari. Sed & Antiqui non ſemel viderunt, & audiuerunt mimos & cothurnatos, & ſoccatos fulmina fingere. Qua de re plurimi conteſtantur; et-
o lib. 5. c. 7. enim o Vitruuio de Theatri ſcenici partibus agenti, *ſecundum autem ea ſpatia ad ornatus comparata (quæ loca Græci* περιάκτους *dicũt ab eo, quod machinæ ſunt in ijs locis verſatiles trigonos habentes) in ſingula tres ſint ſpecies ornationis; quæ quum aut fabularum mutationes ſunt futuræ, ſeu Deorum aduentus cum tonitribus repentinis, verſentur, mutentque ſpeciem ornationis in frontes: Secundum ea loca verſuræ ſunt procurrentes, quæ efficiunt vna a foro, altera a peregre aditus in ſcenam.* Id ipſum in Amphitrione Plautus Vitruuium docuit,
p Amph. in f. introducens Iouis aduentum cum repentino tonitru, dum p ait
Am. *Sed quid hoc? quam valide tonuit? Di obſecro veſtram fidem.*
Iup: *Bono animo es, aſſum auxilio Amphitruo tibi & tuis.*
Hanc tonitruum imaginem Daniel Barbarus ita fieri dicebat,
q in com. Vitr. loc. cit. *Tonitrua q in Deorum aduentu fiebant, vtribus, & pellibus corijs inflatis, calculisque repletis, vel ictibus percuſſis, quos nos Tamburros*
r lib. 3. c. 19. *nominamus.* Aſt aliter Iulius Pollux, r *cui præterea inter theatri partes quoque numeretur turris fulminea, tonitru, deorum ſedes:* & mox: *Ceterum in Comœdia, Machina autem fulminea, & tonitru; illa quidem, eſt alia verſatilis machina; hoc vero in poſteriore parte ſub ſcena, vrnæ ſunt lapillis plenæ, qui impulſi, per ænea vaſa delabuntur.* Quæ quidem machina Bronteum appellatur, de qua Græcus Ari-
ſ in Nubib. ſtophanis Interpres ita, ſ ἔστι δὲ καὶ ἐν τῇ σκηνῇ μηχάνημά τι ὃ καλεῖται βροντεῖον, ἀμφορεῖς μεστοὶ ψηφίδων ἀντιβαλλομένων εἰς χαλκοῦν λέβητα hoc eſt, *eſt autem & in ipſa ſcena machinamentum quoddam*

quod

quod vocatur Bronteum; amphora plena calculorum recurrentium in aneum lebetem. His conſimilia dicit Sex. Pompeius Feſtus, *t* cui *Claudiana tonitrua appellabantur, quia Claudius Pulcher inſtituit, vt ludis poſt ſcenam factis, lapidum collectus ita fieret, vt veri tonitrus ſimilitudinem imitaretur: nam antea leues admodum & parui ſonitus fiebant quum claui & lapides in labrum aneum conijcerentur.* Hæc omnia tetigit Rhodiginus in ſuis Antiquis lectionibus addens, *u Ceraunoſcopium, altior intelligitur machina inſtar ſpeculę ex qua fulminum iactus exhibebant.* quod a Conſtantino *x* Lexicographo deſumpſerat, Pollucem *y* allegatum citante, qui Ceraunoſcopium ab Interprete viſus eſt dicere Turrim fulmineam. Quin & extra Scenam artificio facta fulmina conſpexere veteres; nam *z* apud Virgilium legimus,

t de verb. ſignif. lib. 6.
u lib. 8. cap. 8.
x in K.
y lib. 5. c. 19.
z 6. Aenei.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas
Dum flammas Iouis, & ſonitus imitatur Olympi,
Quatuor hic inuectus equis, & lampada quaſſans
Per Graium populos, mediaque per Elidis Vrbem
Ibat ouans, Diuumque ſibi poſcebat honorem:
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere & cornipedum curſu ſimularat equorum.

Quam hiſtoriam etiam Hyginus attulit, cui † *Salmoneus Aeoli filius, Siſyphi frater, quum tonitrua & fulmina imitaretur Iouis, ſedens quadrigam faces ardentes in populum mitteret, & ciues; ob id a Ioue fulmine eſt ictus.* Et poſtea, *a Salmoneus, qui fulmina in quadriga ſedens imitabatur, cum quadriga fulmine ictus.* Suidæ quoque relatu *Salmoneus Aeoli filius, rex Theſſalorum, homo impius, machina quadam fulgurabat, tonabat: populi animos conturbabat. Itaque pœnas impietatis dedit, diuinitus fulmine ictus.* De præſtigioſa demum fulminum molitione ab immundis ſpiritibus,* nemo dubitare debet; quum harum illuſionum plenæ ſint hiſtoriæ; multoque maiora præſtigia Dæmones moliantur in aere, quam illudentium fulminum ſpectra. Sed Aenigmatiſta noſter ſuam Pyronarcham dicit non creatam, non effectam, non effictam, at genitam eſſe; atque adeo tractat de naturali phyſici fulminis generatione.

† cap. 60.
a cap. 250.
* D. Paul. ad Epheſ. cap. 2.

VVLCANO MENSTRVVM.

QVoniam in ęnigmate Pyronarcha introducitur veluti puella genita ex Vulcano & Diſcordia, tamquam ex parentibus,

b 3.de Lucer. ant. c. 3. ac proprijs genitoribus diſtinctum ſexum habentibus; quod ſcite facere potuit Aenigmatiſta, quoniam ignis, vt b alibi diximus, animanti ſimillimus eſt; quod & notauit Plutarchus inquiens, c *Nihil animato ſimilius eſſe quam ignis, qui per ſe mouetur & d nutritur, ſuoque ſplendore, anima in morem, res manifeſtat omnes; & maxime vim non expertem vitalis principij oſtendit, dum extinguitur, ac perit, inter pereundum vocem edens, ac reluctans interitui, animalis inſtar, quod vi necatur:* Quin etiam, ſi Typhonem, qui apud Ariſtotelem e naturam fulm ni congeneam habet; ait enim, *At vero quod fulſerit ignitum in ſublimi, ſi ad terram vſque curſim illiſum ſit, fulmen vocatur: ſin ſemiuſtum quidem, ſed vniuerſum tamen violentumque incubuerit, Praſter, hoc eſt, accenſus turbo, dicitur: quod ſi prorſus ignis nihil interim conceperit, Typhon vocatur; qui eſt vertex procelloſus, & euerberans: Horum quicquid in terram impetu decubuerit, σκηπτὸς; ideſt, fulmen nominatur.* Si Typhonem inquam, ſiue Typhęum gigantem finxerunt poetæ veteres; Iunonis quidem ac Terrę filium f Homerus, & g Nonnus; quarum Homero quidem Iuno vices Matris obiret, Terra patris officia præſtaret; e contra Nonno Typhon ortus dicitur Terra matre, Iunone patre: Pol Homerus, Iunonem aſſerit peperiſſe Typhonem ex patre Terra, his metris

c 7. ſymp. qu. 4.
d Ariſ. 2. de gen. t. 50.
e de mũd. cap. 3.
f in hymn. Apoll.
g 3. Dion.

Et olim quum ſuſcepiſſet auream ſedem habentis nutriebat Iunonis.
Grauemque difficilemque Typhaona, damnum mortalibus:
Quem olim vtique Iuno peperit irata cum Ioue patre.
Manu ſublata autem agitauit terram, & dixit verbum,
Mota eſt igitur terra vitam ferens: . . . . .
Rurſus perfecto anno venerunt horæ,
Hęc autem peperit neque Dijs ſimilem, neque mortalibus
Grauemque difficilemque Typhaona damnum mortalibus.

innuens ab exhalatione Terrę ceu ſemine progigni Typhonem in aere ceu in aluo materna. Nonnus autem conſiderans ex aeris calore duci ſurſum exhalationem ex Terra conceſſuram in Typhonem, voluit Typhonis matrem eſſe Terram, Iunoni vero dedit patris officia; dicit enim

Ambitus aerios flagellabat calidus flatus,
Fulgur adducens Typhoni igne lucenti æſtus vapore,
Si multum pluuiam defluentem pluuioſus Iupiter,
Labores ſoluentibus guttis totum corpus abluit Typhœus,
Calida refrigerans perſpirantia membra fulmine:

Et

Et aſperis telis torrentis niuis.
Puero flagellato ſicca cędebatur mater.
Videns verſo Gigantis in corpore teſtem morte.

Mater enim ſicca Typhonis gigantis terra eſt; quum Iuno ſit humidæ naturæ. Heſiodus itidem Typhoni dedit matrem Terram, patrem vero Tartarum; inquit enim, [b]

Aſt vbi Titanes e cælo expulit Iupiter,
Minimum natu peperit filium Typhæum Terra magna,
Tartari compreſſu, per auream Venerem.

ſiquidem exiſtimauit oriri Typhonem, quia ex interno calore ignis ſubterranei Tartari fęcundata Terra ſurſum exhalationes emittens parturiat Typhonem. Si ergo Poetæ Typhonem fulmini congeneum effingunt puerum, ac filium ſeu Iunonis, ac Terræ; ſeu Tartari, & Terrę; iam nullo negotio potuit Aenigmatiſta noſter effingere fulmen eſſe puellam, quę ſit filia Vulcani, atque Diſcordię. Ceterum admirabiliter; vere tamen ait Vulcanum fungi matris officio, qui conferat pro generatione Pyronarchę, menſtruum, ac omnino materiam proximam: quamquam enim ignis ob maximam ſui actiuitatem, in alijs omnibus propemodum operibus & artis, & naturę, videatur habere rationem maſculi, & cauſſę agentis; non autem feminę, ſeu patientis, aut materię; vnde veluti dignitatem phyſiologicam omnes tum Medici, tum Philoſophi ſuſcipiunt vltro, [i] *frigidum non ingredi opera naturæ*; quod potiſſimum de [k] viuentium operationibus protuliſſe videtur Ariſtoteles: tamen in procreatione fulminis ignea ſubſtantia, Vulcani nomine deſignata, ſuſtinet officium feminę, conferens ad generandum fulmen materiam proximam, quę menſtruum dicitur in hominis generatione. Ac ſane propter hanc rationem Vulcanus apud antiquos Poetas non ſemper maſculus, ſeu non ſolum maſculus effictus eſt, ſed etiam aliquando femina; dictusque pollere vtroque ſexu; non ſecus atque Luna (teſtimonio [l] Platonis, & [m] Rhodigini) atque Pallas, obſeruatione Pierij, [n] ſic in ſuo Vulture ſcribentis, *Vt vero ad Vulcanum, & Palladа reuertamur, Mundum in vniuerſum Aegyptij ex mare, atque femina conſtare profitebantur; ſolos vero Deorum Vulcanum & Pallada maſculo-feminas aſſerebant.* Sic igitur in generatione Pyronarchę Vulcanus, vt femina & mater, confert menſtruum; quoniam ignis tum ſuperus ille, tum intra terram vigens mittit in nubes vtcumque materiam proximam gignendi fulminis; quę ſcitiſſime

[b] in Theogon.

[i] Zim. theor.

[k] 2. de part. an. cap. 7. de morte & vit. c. 10. 2. de an. t. 50.

[l] in ſympoſ.

[m] lib. 20. cap. 7.

[n] Hieroglyph. 18.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

me menſtruum æmulatur in eo non ſolum, quod, vt menſtruum, eſt materia proxima rei generandæ; cuius ignis, vt mater, eſt materia remota fulminis: verum etiam quod vt menſtruum, eſt ſemen *o* impurum, ac excrementum Vulcani, ſeu ignis. Profecto ſi conſideremus fulmina genita ex portione ignei elementi ſuperi a motu cæli deorſum præcipitata in nubes obſidentes mediam regionem aeris; illa portio ſuperi elementi eſt ignis excrementum impurum, ac menſtruum Vulcani; quia partes illę, quæ ob cœli motum concitatiorem ex elemento ignis violente ſparguntur in ſubiectum aerem, Ariſtotelis *p* conteſtatione ſunt partes ignei elementi conterminæ aeri; adeoque partes infimæ ſuperni ignis: at vero paullo *q* prius diuiſerat Ariſtoteles elementum ignis in duo genera partium; quarum altiores ait eſſe puras, inferiores inquit eſſe minus ſynceras; verba Philoſophi ſunt hæc, *Quod enim eſt ſurſum* (in loco leuium) *& vſque ad Lunam, dicimus eſse corpus alterum & ab igne* (viſibili) *& ab aere; quinimmo & in ipſo hoc quidem purius eſse, illud autem minus ſyncerum, & differentias habere, & maxime qua definit ad aerem, & ad eum, qui circa terram, mundum. Quum autem fertur primum elementum circulo, & corpora, quæ in ipſo ſunt; id, quod propinquum eſt, ſemper inferioris mundi, & corporis motu diſgregatum accenditur, & facit caliditatem* diſgregatum ſcilicet a proprio elemento, & denſatum motus violentia incenditur. & mox. *Et propter hanc igitur cauſam pertingit ad hunc locum caliditas; & quia ambiens ignis aerem ſpargitur motu frequenter, & fertur violentia deorſum*. ſic igitur ignis elementum ſpargens in ſubiectum aerem ſuas aliquas portiones impuras, eſt ille Vulcanus, qui ad generationem fulminis conferre dicitur menſtruum; quod ab Ariſtotele noſcitur impuritatem habere, dum ait, *r Et menſtrua ſemen ſunt, quanquam non purum*: talis autem portio ignei elementi minus pura, & infima, recte dicitur eſſe materia ex qua proxime generatur fulmen in aere, tum quoniam ea facilius motu cœli violente truditur deorſum in ſubiectum aera; quod & propinquior eſt aeri, in quem propellatur; & aliquam habet admiſtionem alienæ ſubſtantiæ; quo factum eſt, vt a frigore nubium denſata ſit miſtum inflammabile; planeque ardore concepto ſplendeat in flammam; quam Ariſtoteles definit eſſe *ſ* ſpiritus ſicci ardorem; ad alterius flammæ diſcrimen, quę definitur eidem eſſe *t* fumus ardens: Quum enim *u* prius definiuiſset Ariſtoteles flammam impuriorem eſſe fumum ardentem; & *x* deinde flam-

o 2. de gen. an. cap. 3.
p 1. meteo. ſu. 1. ca. 4. in f.
q eod. cap.
r 2. de gen. an. cap. 3.
ſ 1. meteo ſu. 2. cap. 1.
t 2 de gen. t. 28
u 4. meteo. ſu. 3. c. 2. in f.

flammam puriorem determinaſſet eſſe ardorem ſicci ſpiritus; tandem *a* vtramque, ſiue flammam in vniuerſum accipiens ait, a 4 meteo. *Propter hoc flamma, ſpiritus, aut fumus ardens eſt.* nimirum duplex tu 3. cap. 1. flamma reperitur; vna, quæ conſtat ex partibus elementi ignis minus ſynceris coactis & ardentibus; quæ partes, vt notat etiam *b* 1. meteo. Alexander *b* Aphrodiſeus, proprie non ſunt exhalatio fumoſa, cõ. cap. 5. ſed quid ea purius, aſt impurius igne ſuperiori; & appellantur proprio nomine hypeccaumatis, ſeu ſicci ſpiritus. ſuntque mediæ cuiuſdam naturæ inter ignem puriſſimum, & fumum; hoc puriores, illo impuriores: Alia flamma eſt fumus ardens; licet plerumque ob maximam cognationem, etiam *c* hypeccauma dicatur *c* 1. meteo. fumoſa exhalatio. Sic ergo Vulcanus ille cœleſtis, vt ita dicam, ſu. 2. cap. 3. ad ſuæ Pyronarchę generationem confert menſtruum; quia elementum ignis ſuperi ad productionem fulminis exhibet ſui partes impuras, in eius infima regione velut excrementa exiſtentes. At vero ſi ſpectemus fulmina genita in aere medio ex fumida exhalatione ſurſum ſublata de igne, terræ partes interiores obſidente; ſimiliter huius Pyronarchæ generationi Vulcanus terram incolens, veluti mater, confert menſtruum; quoniam materia proxima fulminis huius eſt exhalatio fumoſa de terreno igne ſurſum ſcandens in aerem; fumus autem eſt excrementum flammæ, ac ignis, vnde prodit; ac excernitur, ceu menſtruum, a pruna, vel a flamma: eſt autem exhalatio fumea, proueniens ex igne ſeu flamma, ſeu pruna vigentibus intra terræ ſinus, proportione reſpondens mẽſtruo Vulcani, animando in Pyronarcham; quia non ſolum Vulcanus Poetis fingitur fabricare fulmina Iouis intra Siciliæ ſpeluncas; verum etiam quia fumus eſt impurior igne, a quo velut excrementum excernitur; & actione congrui agentis conuerti poteſt in flammam. Itaque quia fulmina fiunt in aere medio nubibus obſeſſo, tum ex hypeccaumate, quod eſt pars impura ſuperni elementi ignis; tum etiam ex fumoſa exhalatione ſurſum aſcendente ex igne vigente varijs in terrę locis; ideo ſcite dicitur Vulcanus ad generationem Pyronarchæ filiæ ſuæ conferre menſtruum. Belliſſime vero noſter Aenigmatiſta, non Veſtam, ſed Vulcanum aſſeruit eſſe matrem Pyronarchæ, conferreque menſtruum ad illius generationem, tum ad maiorem ęnigmatis obſcuritatem, & admirabilitatem, tribuens officia matris, ac vices feminę Deo maſculo; tum ne recederet a communi ſententia mortalium, ac Poetarum, violans famam publicam; qua ſatis eſt

omni-

omnibus in confeſſo, Fulmina Ioui fieri non a Veſta, ſed a Vulcano. Decenter igitur Aenigmatiſta vetus hic ait, A Vulcano, tamquam a matre, in generatione Pironarcę, quę eſt flaua-velox, ſeu flaua-ſtupefaciens ſubſtantia fulminis, conferri ac exhiberi menſtruum; quod eſt exhalatio fumoſa, vel hypeccauma, quę ſingula eſt materia proxima, ex qua in aere medio intra nubes generantur fulmina. Eſt autem hęc fulminum materia non craſſa & lapido ſa conſiſtentia, vt quidam [d] cum vulgo idiotarum aſſerit; ſed halitus tenuis, vt ait [e] Ariſtoteles, & exhalatio ſubtiliſſima, vt ait [f] Seneca: quin & Plutarcho, [g] *Fulminis ignis mirabilis eſt ſubtilitate, ac tenuitate.* Quod .n. [h] Conimbricenſes cuidam perſuaſerunt, *Poſſe exhalationes intra nubem concreſcere in lapidem, qui vna cum fulmine tamquam bombardæ globus trudatur; quemadmodum & exhalationes aliquando in metalla addenſantur*; id plurimum abeſt a vero; quia metalla fiunt ex vaporibus aqueis prędominantibus; non e ſiccis exhalationibus a prędominio; ſecus enim igne metalla non funderentur, ſed indurarentur. Quin & exhalationes, quę ob ſui leuitatem ſurſum aſcendunt in altum aerem, vbi mutantur in fulmina, ſunt igneę a prędominio ac leues; non autem graues cum multo terræ prędominio; cuiuſmodi ſunt illæ, quæcumque concreſcere poſſunt in lapidem. Itaque Vulcanus ad fulminis generationem confert menſtruum, hoc eſt materiam proximam.

[d] Caſtr. 1. de met. maior. ca. 19.
[e] 3. meteo. ſu. 1 cap 2.
[f] 2. nat. qu. cap. 40. & 52.
[g] 4. ſymp. qu. 2.
[h] in meteor. to. 2. cap. 5.

ET ALVVM.

FEminæ proprium officium eſt, ad prolis generationem conferre non ſolum materiam, quæ menſtruum dicitur; ſed etiam locum generationis, qui nuncupatur Vterus, & Aluus. Ceterum quomodo Vulcanus, ſiue cęleſtis, ſiue ſubterraneus, de quo ſuperius, conferat vterum & aluum, intra quam generetur Pyronarcha, ſeu fulmen, id profecto difficillimum eſt explicatu: certe locus, in quo naturaliter generantur omnia fulmina, eſt Aer, & proprie [i] Aeris media regio, in qua vigent, rigentque cum intenſo frigore nubes; qui locus longo nimium interuallo diſtat tum a ſupero ignis elemento; tum ab igne condito ſub terra; vt propterea locus ille non apte videatur dici aluus Vulcani. Sed enitendum pro viribus & hanc ænigmatis partem enodare, ne cogamur ab Athenæo [k] muriæ, vel [l] meri grande poculum ſine re-

[i] Senec 2. nat. qu. cap. 12.
[k] lib. 10. cap. vlt.

ſpira-

ſpiritum ne patrare; quæ pœna manebat eos antiquitus, qui propoſitum ſibi ænigma non ſoluiſſent. In primis illud occurrit; Ariſtotelem alicubi dediſſe plantis terram pro ventre, quum ſtirpes ipſæ ſtomachum non habeant, in quo primam ſui nutrimenti coctionem moliantur; ait enim Ariſtoteles, *m Stirpes enim ſiue plantæ ſuis radicibus alimentum iam confectum ex terra hauriunt; quocirca ne excrementum quidem contrahi in ſtirpibus ſolet. terra enim, caloreque eius perinde ac ventre vtuntur.* Quininimo plantæ quum ſemina ſua iaciant intra terræ ſinum, in quibus ſeminibus pars ſpirituoſa *n* ſemini maſculeo proportione reſpondet, craſſior menſtruo femineo; vt enim planta quæuis vtrumque ſexum confuſum commiſtumque retinet; ſic in eiuſdem ſemine menſtruum a genitali ſpermate diſtinctum non eſt: propterea ſtirpes terra vtuntur non ſolum vt ventre ac ſtomacho; ſed etiam vt aluo, ac vtero, ceu loco, in quo ſuas proles generant. Pari ſane ratione ſuperiorum illud ignis elementum ſpargens in ſubditam ſibi mediam regionem aeris portiones ſui minus ſynceras, quæ concedunt in materiam fulminum, apte dici poteſt Vulcanus ille vti aere medio velut aluo ad ſuæ Pyronarchæ generationem. Id ipſum aſſerere valemus de igne ſubterraneo, qui mittens exhalationem fumoſam, veluti ſuum excrementum ac menſtruum ſurſum in aerem medium, vtitur illo aere velut aluo & vtero, intra quem formetur fulmen, ac myſtica ſua Pyronarcha. Deinde vero, quum animalia ouipara ſuos pullos non intra ſe forment, ſed vtantur Oui teſta, intra quam procul a ſe proles eorum organizatur, tamquam in aluo, ac vtero, ſeu loco proprio generationis ſuorum partuum; quidni Poeta noſter in ænigmate dicere potuit, Ignem tum ſuperum apud *o* Lunam; tum ſubterraneum, vti aere medio longe a ſe diſſito, velut aluo ſua, in quam iaciat partes ſuas minus ſynceras, fumoſumque halitum, quaſi ſuum menſtruum pro generatione Pyronarchæ, quæ fulmen eſt? Deinceps autem, docet *p* Ariſtoteles inter animalia quædam inueniri, quorum femina inferit in marem; ac tamdiu cum eo coit, vt virtute maris feminæ menſtruũ animetur, quare in illis femina confert ſuæ proli concipiendæ, ac animandæ ventrem, ac aluum maſculi; dicit enim Ariſtoteles, *Omnium vero maximum argumentum in genere inſectorum animaduertimus ſatis, quod etſi non omnium, tamen plurimorum femina per coitum particulam quamdam ſuam inſerit in marem; & quidem coitum ita agunt; quod antea dictum eſt: ſubiecta enim inſuper a indere viſuntur,*

l Ariſtoph. in Veſp. Heſych in Onom. Poll. luc.

m 2. de par. an. cap. 3.

n 2. de gen. an. cap. 3.

o 3. de gen. an. cap. 11.

p 1. de gen. an. cap. 18.

quamquam non omnia, ſed plurima ex ijs, quæ explorata habemus. Vt igitur horum inſectorum femina vtitur ad ſuæ ſobolis generationem, animationemve, ſeu conceptionem aluo extra, ſupraque ſe poſita in ſuperincubantis, ſuperi c ntisve corpore maris: ita ſubterraneus ignis porrigit ex ſeſe fumum ad mediam regionem aeris; qua ceu aluo vtitur ac vtero, in quo famoſa illa exhalatio trāſmutatur in fulmen. Denique vero de vtroque igne dicere valemus in propoſito, mediam regionem aeris a Poeta in gripho ſcite nuncupari potuiſſe aluum Vulcani; quoniam aer eſt Iuno, vt inquit in Cratylo Plato; cuius caput, & pectus eſt ſuprema illius elementi regio, in qua maxime viget calor: aluus eſt regio media, in qua fiunt omnium aereorum meteororum generationes; coxę, atque crura, pedeſque ſunt infima regio aeris; vt aperte conſtat ex Homero; q cui Iupiter aliquando Iunonem alte ſuſpendit, pedibusque illius duas incudes appendit; eamque obiurgans ait,

q Iliad. 15. init.

An non meminiſti quando pependiſti ex alto, ſub autem pedibus
Incudes poſui duas, circum manus autem vinculum ligani
Aureum, firmum? tu autem in athere & nubibus
Pependiſti.

ſcilicet, ab elemento ignis, ætheris nomine donati, pendulus videtur aer; cuius pedibus ligatæ dicuntur aqua, & terra, veluti duæ graues incudes; infimi namque aeris pars vna terræ, alia mari iungitur: manus autem, quæ non extenduntur mulieribus infra ventrem imum, aluumque, ſunt aureo vinculo ligatæ; quod quidem aureum vinculum appellatum proprie ſunt omnia ignita meteora paſſim coruſcantia in media regione aeris. Quum autem Iuno fingatur a Poetis eſſe Vulcani mater ſine ope viri; nam Lucianus ait, r *Iunonem citra virilem congreſſum ſubuentaneo conceptu grauidam puerum edidiſſe Vulcanum*. Heſiodus etiam aſſerit, ſ quum Iupiter ſine feminæ opera Mineruam ex ſe genuiſſet, Iunonem viciſſim ſine ope maſculi genuiſſe Vulcanum; ait enim de Ioue

r In ſacrific.
ſ Theogo. in f.

Poſtremo vero Iunonem floridam fecit vxorem,
Hæc autem Heben, & Martem, & Lucinam peperit,
Miſta amore Deorum regi & hominum.
Ipſe vero ex capite cæſijs oculis præditam Tritogeniam:
Iuno autem Vulcanum inclytum amori indulgens
Genuit, & vires intendit, & contendit cum ſuo marito.

id autem finxerunt, quod ignis fulminum, & aliorum meteororum in aere ſolo generetur: Propterea media regio aeris eſt ſimul

& Iu-

& [illegible] aluus, & Vulcani aluus. Nec id Aenigmatiſtæ priſco d[illegible] fuit incongruum; quum eadem prorſus ratione Philoſophus aſſeruerit idem numero ſemen eſſe tum equi patris, tum muli filij; verba ſunt Ariſtotelis, [t] *Semen enim bifariam accipitur, videlicet ex quo, & cuius; nam & a quo deceſſit, eius ſemen eſt vt equi; & eius, quod ex illo futurum eſt, vt muli verum non eodem modo.* Sic aluus bifariam accipitur videlicet in quo, & cuius; nam & in quo eſt, eius aluus eſt, vt Iunonis, ſeu Aeris; & eius, quod tum in eo genitum eſt, tum in eo generare poteſt, vt Vulcani, ſeu Ignis. Nec difficile fuit Poetæ fingere, Vulcanum a matre ſua aluum ſibi habere, in qua filiam ſuam Pyronarcham generaret; quum Poetis fas fuerit effingere, Bacchum in femore Iouis ad maturum partum concludi, ſtatim ab eius conceptu fulminata matre Semele; nam [u] Ouidio ——*corpus mortale tumultus*

Non tulit æthereos, donisque iugalibus arſit.
Imperfectus adhuc infans genitricis ab aluo
Eripitur; patrioque tener (ſi credere dignum eſt)
Inſuitur femori, maternaque tempora complet.

Vt igitur dici potuit, Semelem ad Bacchi filij ſui generationem contuliſſe menſtruum, & aluum, licet in aluo ſeu femore Iouis patris plurimum fuerit compaginatus; ita non inepte ſcribit Aenigmatiſta, Vulcanum ad Pyronarchæ filiæ ſuæ generationem contuliſſe menſtruum, & aluum; quamuis in aluo Iunonis efformata ſit Pyronarcha nimirum in aere medio fulmen eſt efformatum. Quin etiam [x] Ephorion, & alij Poetæ [y] ſi fingunt Vterum, in quo conformatus fuit Orion, fuiſſe pellem bouis, in quam Iupiter, Neptunus, ac Mercurius profuſo ſemine procrearunt Hyrieo ſeni filium; qua de re ſic Ouidius, [z] introducit Hyrieum a Dijs filium ſine coniugis interuentu poſtulantem, & obtinentem,

. . . . . . *nec coniux, ſed pater eſſe volo.*
Annuerant omnes, omnes ad terga iuuenci
Conſtiterant pudor eſt vlteriora loqui.
Tunc ſuperiniecta texere madentia terra:
Iamque decem menſes; & puer ortus erat.
Hunc, Hyreus quia ſic genitus, vocat Vriona:
Perdidit antiquum litera prima ſonum.

Si ergo poetæ fingere poſſunt Iouem, Neptunum, & Mercurium ad productionem Orionis contuliſſe ſemen, & aluum extra ſe, pellem nimirum bouis, & terræ ſinum: cur non potuit Aenigmatiſta

[t] 1. de par. an. cap. 1.
[u] 3. metam.
[x] mythol. lib. 8. cap. 13.
[y] Boccat. 11. geue. Deo. c. 19.
[z] 5. Faſtor.

tiſta dicere ad generationem fulminis,quæ fit in aere medio,ſubterraneum ignem conferre tum menſtruum exhalationis fumoſæ, tum etiam aluum extra ſe,longeque a ſe conſiſtentem? ſed & eo magis hoc dicere potuit, quod apud ſacros Autores non ſemel legimus conſimiles loquendi modos;in primis enim Abramo dicente ſe filios non habere, & conquerente ſuam hæreditatem ad ſeruum peruenturam, ª *Statimque ſermo Domini factus eſt ad eum dicens: Non erit hic hæres tuus,ſed qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebis hæredem*. ᵇ Vxoris vterum appellat ſacer textus vterum mariti:ſic Aenigmatiſta Iunonis matris aluum,nimirum mediam regionem aeris,nunc vocat aluum Vulcani filij. Deinde Sara vxor vetus & ſterilis eidem Abramo viro ſuo dicit, ᶜ *Ecce Dominus, concluſit me ne parerem:Ingredere ad ancillam meam ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios*. Quo ſane loco dici potuit Sara contuliſſe menſtruum, & aluum ancillæ ſuæ ad generandos ſibi filios ex viro ſuo:ſic Autor noſter dicere potuit,Vulcanum terrenum ad generationem Pyronarchæ filiæ ſuæ fulmineę contuliſſe menſtruum ſuum, & aluum matris ſuæ Iunonis in aere medio. Deinceps, ᵈ *Cernens autem Rachel quod infecunda eſſet; inuid t ſorori,& ait marito ſuo;da mihi liberos,alioquin moriar:cui iratus reſpondit Iacob:num pro Deo ego ſum qui priuauit te fructu ventris tui? At illa, habeo,inquit famulam Balam; ingredere ad illam vt pariat ſuper genua mea,& habeam ex illa filios. Deditque illi Balam in coniugium: quæ ingreſſo ad ſe viro concepit & peperit filium: dixitque Rachel, Iudicauit mihi Dominus,& exaudiuit vocem meam,dans mihi filium:* Ad cuius ſane filij ſui adoptiui generationem Rachel dici potuit contuliſſe menſtruum, & aluum famulę ſuæ Balam: cur ergo Vulcanus ad generationem Pyronarchæ filiæ ſuæ dici non poterit ab Aenigmatiſta conferre menſtruum,& aluum;etiamſi aluum non ſuam,ſed matris ſuæ Iunonis,medium nimirum aerem conferat? nihil certe id prohibet. Denique vero ad huius loci difficillimi explicationem afferre non pigeat Officinam Vulcani locum eſſe, in quo Poetarum omnium conſenſu a Vulcano fulmina Ioui generantur;igitur Aenigmatiſta per aluum a Vulcano collatam ad generationem Pyronarchæ,quæ fulmen eſt,futurum Iouis telum, nil aliud intelligere poteſt,quam officinam Vulcani; vt aluus materna eſt officina.in qua mater ſuam prolem generat. Ceterum officina Vulcani a Luciano ponitur eſſe, vnde Prometheus ignem cæleſtem rapuiſſe dicitur;ait enim apud eum Vulcanus ad ᵉ Prometheum,

ª Geneſ. cap. 15.

ᵇ Lyran.

ᶜ Geneſ. cap. 16.

ᵈ Geneſ. cap. 30.

ᵉ in Caucaſo.

[illegible] *Ita me amet Iupiter, pro iudice accuſator tibi futurus ſum, eo quod compilato igni, gelidam mihi officinam reddideris.* At vero Pronapides in ſuo Protocoſmo, Theodontij relatu apud [f] Boccacium, vt antea quoque notauimus, aſſerit Prometheum ignem furatum dici de cęlo, quia diu moram trahens in Caucaſi vertice, inde nouerit naturam fulminum in ſublimi aere genitorum per nubium conflictum; indeque docuit mortales concuſſu ſilicum ignem excutere ad varios vſus: vt officina ex qua conqueritur Vulcanus Prometheum ſibi furatum eſſe ignem, ſit media regio aeris; quæ vt Vulcani fabricatoris fulminum officina dicitur a Luciano; ſic Vulcani feminæ genitricis Pyronarchæ fulmineæ Veterus, & aluus dici potuit ab Aenigmatiſta; & qua ratione Lucianus dicere potuit Vulcanum fabrum adhibere ſublimem aerem veluti ſuam æthercam officinam ad fabricanda fulmina Ioui; eadem plane noſter hic autor aſſerere valuit, Vulcanum feminam conferre aerem ſublimem eumdem veluti ſuam aluum ad generationem Pyronarchæ.

[f] 4. de geneol. Deo. cap. 44.

DISCORDIA VERO SEMEN CONFERENTE.

PAtefacta iam matre Pyronarchæ, adeoque fulminis cauſa materiali, tum remota, ſeu mediata tum etiam proxima, & immediata: parerat vt Aenigmatiſta Pyronarchæ ſuæ patrem aſſignaret, proindeque cauſſam fulminis effectricem mediatam itidem, ac immediatam: vtrumque nunc affert, aſſerens patrem Pyronarchæ, adeoque cauſſam effectricem mediatam eſſe Diſcordiam; cauſſam vero eiuſdem effectricem immediatam eſſe ſemen a Diſcordia collatum. In quarum cauſſarum vtraque nos manet mira difficultas. Diſcordiæ ſiquidem femineæ Deę dare vices maſculi, mirum ſatis eſt. Sed hanc admirationem ſuſtulit in primis Vulcani nomen maſculeum, cuius in Pyronarchę generatione fuit ſub eo nomine femineum officium: ne cui vero alteri difficultatem faciat Diſcordię nomen femineum, quaſi ſub eo nomine latere comprehendique nequeat maſculea virtus; admonemus primo Palladem, & Lunam ſub nominibus deterioris ſexus habuiſſe vires melioris, ſexusque viriles; vt nuper vidimus apud Platonem [g], Rhodiginum [h], atque [i] Valerianum. Notamus deinde, qua ratione Vulcanus ſub nomine maſculeo conſeruare potuit etiam naturam femineam, eadem plane ratione Diſcordia

ſub

[g] in Conuiu.
[h] lib. 20. cap. 7.
[i] Hierogl. 39

ſub nomine muliebri continere virtutem maſculeam, ſexumque virilem. Addimus deinceps & k Platonem, & l Ariſtotelem ſcribere non dubitaſſe, formam a materia deſiderari, ceu maſculum a femina. Denique vero Theodontius apud m Boccacium omnem dubitationem ſuſtulit in propoſito, dicens huiuſmodi femineo nomine Diſcordiam fuiſſe maſculo-feminam; feminam Homero, maſculum Pronapidi Poetæ priſco, his plane verbis, *Ad inclytam prolem primi Dei gentilium veniendum eſt; cuius primum filium voluere Litigium, eo quod primum ipſum ex Chaos pragnantis vtero, ex incerto tamen patre eductum velint. De cuius eductione talis a Theodontio recitatur fabula. Dicit enim a Pronapide poeta in Protocoſmo ſcribi, quod ſemel reſidente Dæmogorgone, vt quieſceret in æternitatis antro, ſenſit in vtero Chaos tumultuari; quamobrem commotus extenſa manu Chaos ventrem aperuit, & euulſo Litigio tumultum faciente, eo quod turpem & inhoneſtam haberet faciem, abiecit in auras: qui confeſtim euolauit in altum: non enim poterat ad inferiora deſcendere; quum omnium rerum inferior is eſſe videretur, qui illum ex vtero matris exemerat: Aſt inde Chaos acri feſſa labore, quum non haberet, quam inuocaret Lucinam, madens tota in ſudorem videbatur reſolui debere, ignita exhalans infinita ſuſpiria, inſiſtente forti manu Dæmogorgone: ex quo factum eſt vt iam diuulſo Litigio, tres Parcas, & Panem educeret vna cum eis. Litigium vero, quod nos vulgatiori vocabulo Diſcordiam dicimus, ab Homero in Iliade Lis vocatur, & Iouis filia dicitur; quam ipſe ait, eo quod a Iunone per eam læſus fuerit circa natiuitatem Euriſtei, & Herculis, de cælo in terram deiectam.* Ex quibus aperte conſtat, Diſcordiam nihilominus eſſe maſculo-feminam, quam Luna, Pallas, atque Vulcanus: quare quemadmodum Luna, dum femina agit, recipiens a Sole virtutem actuoſam, muliebri nomine vocatur; dum autem maſculus agit, fecundans noſtratia, Lunus eſt. Et nomine maſculeo nuncupatur; vt obſeruat n Pierius, & ante illum o Orpheus inquiens

Audi Dea regina, lucem ferens diua Luna:
Cornua tauri habens Luna, noctu currens, in aere iens;
Nocturna, faces ferens puella, bene ſtellata, Luna,
Aucta, & imminuta feminaque, & mas.

ita plane Litigium modo maſculus agit, recteque dicitur a Pronapide primus filius Chaos; quia quod primum exit ex Chaos, fuit contrarietas, & Diſcordia formarum, conſtituens rerum naſcentium

k in Timæo.
l 1 phyſic. 80.
m 1. geneol. Deo. cap. 3.
n Hierogl. 44.
o Hymn. Lun.

[illegible] atem: modo feminæ partes habet, ac dicitur Lis, & vulgariori vocabulo Diſcordia. Niſi potius dicamus, Diſcordiam, licet habeat nomen femineum, ſemper tamen habere vim maſculeam, ſexumque virilem, vt [p] forma; quia proprium illius eſt, [p] 1 phyſ. t. 80. 8.
ſemper mouere, ac facere, non autem pati: & reuera Diſcordia eſt illa contrarietas, quam Ariſtoteles [q] locauit inter principia, cui- [q] 1. phyſ. t. 56.
que dedit cum Antiquioribus officium agendi; quæ contrarietas eſt naturalium formarum oppoſitio [r] inter ſe: Noſter autem [r] 1. phyſ. t. 55.
Autor ad ænigmatis maiorem obſcuritatem & admirabilitatem, decorum hic ænigmatiſtæ ſeruans Matri Pyronarcham generanti tribuit virile nomen Vulcani; [ſ] & Patri Pyronarcham eandem a- [ſ] 1. phyſ. t. 68.
ctiue-gignenti dedit muliebre nomen Diſcordiæ potius, quam maſculeum Litigij. Ceterum hæc Diſcordia gerens maſculi partes in generatione Pyronarchę, vt olim notauimus, nihil eſt aliud quam Antiperiſtaſis in medio aere vigens ab humiditate ac frigore circumobſiſtente halitui calido & ſicco intra nubes comprehenſo, ſiue illuc aſcenderit halitus ille fumoſus de Vulcano terreſtri, nimirum ex igne vigente intra terræ ſinum; ſiue illuc deſcenderit iactus ab elemento ſuperioris ignis, adeoque a Vulcano cœleſti: qua de re, præter ſuperius adnotata, lubet præclarum Valeriani [t] monumentum referre, qui ſcribit, *Omnibus vtique vulgatum eſt Hieroglyphicum illud, fulmen ſupremi Iouis geſtamen eſſe.* [t] Herog. 43.
Sed vt nunc fabulas diſſimulemus, veram figmenti cauſſam afferamus; ſiquidem hoc ipſius fulminis naturam exprimere videtur; quod quidem ita fit. Calor interdum per refrigeratum a ventis aera conſperſus, vbi contrariæ naturæ viribus ſolicitari cœpit, ſeſe in globum colligit, & aduerſus algorem validiſſime reluctatur: vrget algor ventis ingruentibus, ille ſeſe magis ac magis adſtringit; quoque anguſtius premitur, eo validior euadit; ac ſimul ac extremam intentari ſibi vim intelligit, totis erumpit viribus; craſſiore que aere, qui circumfuſus eſt, diſrupto, viam ſibi cum ſtrepitu & incendio patefacit. Suprema vero illa pars elementorum, vnde calor emanat, quum Ioui ſit attributa, ideo illum vetuſtas fulgura, & fulmina ciere confinxit. At vero ſemen, quod ad generationem Pyronarchæ confert hæc maſcula Diſcordia, ſiue cauſa efficiens proxima, quam ad productionem fulminis adhibet Antiperiſtaſis, nihil eſt aliud niſi vapor aqueus, adeoque frigidus & humidus, copioſus in denſam magnamque nubem concretus, qui circumambiens vndique fumeam exhalationem, halitumque calidum & ſiccum, eum concentrando cogit in flam-

mam,

mam, & violenter extrudit deorſum ad terras; vt belle notauit etiam Plutarchus inquiens, [d] *Qua tandem ratione ait Plato, circumreſiſtentiam (hoc enim nobis ſit antiperiſtaſis) eo quod nuſquam quicquam ſit inane, cauſſa eſſe eorum quæ eueniunt medicorum cucurbitulis, glutitioni, onerum iactationi, aquarum fluxui, fulminibus ſuccino, & Herculeo lapidi, res ad ſe trahentibus, & ſonorum conſonantiæ? videtur enim abſurde tam multorum, tamque diuerſorum effectuum vna cauſa adferri: nam quomodo ob circumreſiſtentiam aeris reſpiratio fiat, ipſe ſatis explicauit; reliqua omnia dicens mirabiliter effici, nihilque eſſe, atque ipſa ſeſe inuicem contrudere, & viciſſim impellendo ſuas ſedes petere, ſingula nobis explicanda reliquit.* & mox. *fulminum autem caſus ipſi quoque ſimiles ſunt iactationi: ab ictu enim, qui in nube fit ignea materia, exploſa in aerem exſilit, iſque contra ruptus cedit, ac rurſum in ſe ſe concidens deſuper, vi deorſum & contra naturam fulmen deprimit* Antiperiſtaſis autem ideo dicitur fulminis cauſſa mediata, & remota, ceu pater Pyronarchæ, quia præter fulmē, multos alios effectus procreare poteſt; at quum Pyronarcham generat, ad fulminis generationem confert ſemen illud quod eſt vapor aqueus nubis denſioris. vt enim animantium ſemen Ariſtoteli eſt cauſſa efficiens proxime [e] generans viuentia; & habet naturam humidam [f] & aquoſam; ita vapor nubis denſioris eſt cauſſa proxime fulmina producens concentrando calorem ſicci ſpiritus adeo vt igneam flammæ naturam contrahat; & habet pariter ſubſtantiam humidam & aquoſam: Vtque ſemen animantium ſuo munere fungitur, [g] Ariſtoteleo decreto, non quidem materia ſua conſtituēs corpulentiam geniti, ſed ſola ſui forma virtuteque procreans formam ſuæ ſimilem in materia conceptus; quo munere functum diſſoluitur ac euaneſcit in auras; ita nubium vapor non concedit in materiam fulminum; quum fulmina ſint de genere flammæ; & aqueus vapor inflammari [h] nequeat; ſed ſola ſui tum frigiditate, tum denſitate cogit in arctum exhalationem fumeam, & eam in flammam tranſmutat, ac violentia pellit deorſum, vtpote graue leui non ſolum ſuperimpoſitum, ſed vndiquaque in ipſum irruens: vna differentia reperitur inter hęc, quod ſemen animatorum agit per ſpiritum, qui calor vocatur, vt ait [i] Ariſtoteles; at nubium vapor agit potiſſimum ſua frigiditate, ac denſitate; quarum illa fugans concentrat calorem exhalationis fumoſæ in anguſtum locum; hac prohibet ne concentratus ille calor ſtatim recedat; adeoque diutius illum in arcto retinens, ipſum viribus augeri

[d] Plat.qu.

[e] 2.phyſ.t. 31.

[f] 1.de par. an. cap.1.

[g] loc.cit.

[h] 4.meteo. ſu.3. cap. vlt.

[i] 2 de gen. an cap.3.

augeri cogitur ſubditam ſibi materiam inflammare. Quo factum eſt vt in aere medio ſereno etſi ſit fumoſarum exhalationum copia; dum illæ non comprehendantur a denſa nubium humidiorum ſubſtantia, nunquam phyſice fulmen generetur a ſola frigiditate; quoniam in aere ſereno quantumuis frigido non adeſt ſemen Antiperiſtaſis: nam vt concedimus atque contendimus, ab aqua poſſe calcem & alia per antiperiſtaſim accendi; non autem ab aere puro ſoloue, quantumuis frigido; ſic ab aere nubilo dicimus poſſe per antiperiſtaſim exhalationem fumoſam eo comprehenſam inflammari in fulmen; non autem ab aere ſereno, quoniam aqua, vt quæ tota diametro igni opponitur, qui calidus & ſiccus eſt in qualitatibus, raruſque ac tenuis in ſubſtantia; viceuerſa eſt non ſolum frigida & humida, ſed et am denſa & craſſa; quare aqua vbi proportionatum inflammabile circumobſederit circumambierit que a prædominio igneum; tunc ſua frigiditate naturaque contraria calorem illius corporis inflammabilis, eiuſdemque portiones igneas in anguſtum fugans & cogens; ſuaque denſitate craſſitudineque calorem in anguſto coactum impedit ne rurſum exerat ſeſe; parteſque illæ igneæ coactæ, ac ab anguſtia loci denſatæ non poſſunt non micare in flammam: ſic miles fugiens hoſtem validiorem, vbi ad eum locum peruenerit, vnde nulla ſibi patet ad fugam via, deſperata ſalute vires ſibi acquirit, ac mutatur in robuſtum: non aliter fumoſa exhalatio vires validiores acquirit, dum in flammam mutatur; & nubium craſſitiem ac denſitatem perrumpens, veluti transuerberans hoſtem, elabitur ex eius manibus; licet ab illo vapore denſo, qui eam ſibi colluctantem penitus extinguere nequiuit, violente præcipitata deorſum, dum ipſa ſponte ſurſum ſcandere conaretur, tranſuerſo motu pellatur in terras: At aer ob ſuæ ſubſtantiæ raritatem ac tenuitatem nec adeo poteſt intenſo frigore pollere, vt aqua, & nubes; quum qualitates primæ ſint in ſubiecto denſiori pollentiores: nec impedire valet quominus concentratus calor ſtatim retrocedat. Ceterum quum effectricis cauſæ ſeminiſque ratio in productione viuentis vniuerſa conſiſtat in eo quod ſemen materiei præexiſtenti formam conciliat; age nunc aperiamus quomodo nubium vapor multus ac denſus tribuat formam fulmini; adeoque dici queat apte ſemen Diſcordiæ in generatione Pyronarchæ. Profecto forma fulminis, de qua latius infra ſuo loco, quatuor nititur attributis, ardore, fulgore, fragore, motuque obliquo ad terras concita-

tiore: Vaporem aqueum multum ac denſum per antiperiſt... poſſe comprehenſas intra ſe fumoſas exhalationes in flammam transmutare, nouum non eſt; nam experimento conſtat, calcem affuſis aquis inflammari; & rationem paulo antea tactam, latius explicauimus x alibi. Flammam autem quomodocumque genitam ex halitu igneo condenſato fulgere, vetus eſt: contrarium igni ac flammæ eſſe vaporem aqueum, notiſſimum eſt: contrarium vero quo valentius eſt, debiliorem fugare, concitatiorique motu depellere, dubium non eſt: concitatiori motu latum corpus in aere, truſumque violente per anguſtam viam, ſonitum magnum edere, compertiſſimum eſt: denique pulſum vndique corpus ab alto, & ad latera, ſurſum ferri ſuapte natura ſatagens, victum deorſum oblique ferri neceſſe eſt. Ita ergo comprehenſa intra nubes exhalatio ſtatim per antiperiſtaſim, ſeu circumſiſtentiam vaporis aquei pollentioris ob multitudinem ac denſitatem, concentratur, & cogitur; qua concentratione vertitur in flammam; flamma facta refulget eo magis, quo minus particeps eſt terrenæ ſubſtantiæ: ſimul & vndique compreſſa, dum nititur ad ſupera, violento pulſu truditur oblique deorſum; & eo motu vi diſfringens denſioris nubis portionem, per quam tranſit impulſa, non poteſt magnum non edere fragorem. Sic ergo Diſcordia confert ſemen ad generationem Pyronarchæ, quoniam Antiperiſtaſis ad generationem fulminis confert aqueum vaporem denſioris nubis, quo exhalatio fumoſa cogitur, & concentratione proprij caloris inflammatur; & violento motu nubes diſrumpens ab ijs per aera deorſum præcipitatur.

x 2. de ſpont. viu. ort. c. 30. & de Lucer. ant. cap. 20. & lib. 4. cap. 34. 59.

:...... HISQVE NON AMORE, SED INDIGNATIONE AD CONGRESSVM COMPVLSIS.

ADmirabilis eſt hæc differentia congreſſus materialis cauſſæ cum effectrice in generatione fulminis, & in productione ceterorum pene omnium naturalium effectuum: etenim aliæ cauſſæ materiales & effectrices rerum phyſicarum ad congreſſum ducuntur amore, atque appetitu naturali generandi compoſita, ceu propriam ſobolem, vt dicebat in Timæo & in Sympoſio Plato, non refragante *l* Ariſtotele: ſic materia deſiderat, appetitque naturaliter effectrici cauſſę coniungi, ac ſubijci, a qua ſuſcipere ſe ſperat formam, qua perficiatur, ac ſatietur eius potentia: ſic viciſ-

l 1. phyſ. t. 80. 81.

ſim effi-

ſim efficiens amat, appetitque naturaliter ſeſe copulare cum cauſſa materiali, tum vt illi ſuam perfectionem communicaret, quæ actus eſt; etenim omne agens agit quatenus eſt m actu; actus autem eſt n bonum; & omne bonum gliſcit ſeſe communicare; quum ſuapte natura ſit ſui diffuſiuum: tum vt in ea, ſeu ex ea producat effectum ſibi ſimilem, in quo perpetuetur ſecundum ſpeciem; quum ob materię participationē (quę rebus quibusque ineſt, affert o intereundi neceſſitatem) in indiuiduo perpetuum eſſe p nequeat: quę late conſtant ex Platone, & Ariſtotele. Sed in fulminis generatione cauſſa materialis, & efficiens non coniunguntur amore, non copulantur inuicem ſpontaneo congreſſu; ſed inuitę coeunt, ac indignatione compelluntur ad congreſſum: etenim ſi loquamur de congreſſu Vulcani terreni cum Diſcordia, quę dicitur Antiperiſtaſis; quum talis congreſſus fiat in aere medio, vbi viget nubium vapor frigidus & humidus naturalem gerens inimicitiam cum igne; ac fiat, vt diximus antea, eo modo, quo plurima inſecta coeunt, femina inſerente prælongam caudam in corpus maſculi; nam ignis in terra vigens aſſidue ſurſum mittit fumeas exhalationes, non quidem cupiens earum medio ſeſe coniungere cum infenſo ſibi aqueo vapore; ſed appetens per eas ſurſum ſcandere vel ad comparem ignem cęleſtem, vel ad locum ſuum naturalem, diceret Philoſophus; vel ad Cælum, vnde deiectus fuerat; vel ad Venerem vxorem ſuam; vel potius, diceret etiā Poeta, exhalationes illę de terra ſurgentes in aerem ſunt effectus irę Gigantum a Ioue fulminatorum; de quibus Guarinus tuus, o Iuli, Ferrarienſium Muſarum decus in ſuo Fido q Paſtore.

m 3. phyſ. t. 17.
n 1. phyſ. t. 81.
o 12. met. t. 30. 3. phyſ. t. 81.
p 2. de an. t. 35. 2. de gen. an. cap. 1.
q Prolog.

La doue ſotto la gran mole Etnea,
Non sò ſe fulminato, o fulminante,
Vibra il fiero Gigante
Contro'l nemico Ciel fiamme di ſdegno.

& noſtra quoque Muſa Clitio Noctem deſcribens accinebat.

Se de la Terra i figli fulminati
Sotto Veſeuo ed Etna in lor furore
Riuibran contro'l Ciel fiamme di ſdegno.

Si fumoſus hic halitus inter aſcendendum inueniat in aere medio vaporem aqueum nubis, non copulatur cum eo ad ſocietatem & fędus; ſed hoſtem, ſibi liberum iter ad ſuperiora impedientem, quin & vim apertam inferentem, ac interitum minitatem & molientem, refugit quantum poteſt, atque cum eo luctatur: qua-

re licet in tali pugna fulmen oriatur, vt ſuperius dictum eſt, ex Vulcano terreno, ceu matre, ac Diſcordia nuboſę Antiperiſtaſis, ceu patre, hi tamen duo Pyronarchę genitores, Ignis & Antiperiſtaſis, ſeu Vulcanus & Diſcordia, non amore ducti fuerunt ad congreſſum genialem fulminis, ac Pyronarchę; ſed indignatione compulſi ſunt hoſtili animo ad congreſſum martialem; licet pręter vtriuſque intentionem ex tali violento congreſſu ac pugnaci enatum ſit fulmen: Antiperiſtaſis enim vaporis aquei circumobſidet igneam exhalationem. vt eam penitus deſtruat, non vt eam perficiat in ignem rutilum fulminis: & exhalatio fumea concentratur in ſeſe, non vt in fulmen deorſum trudatur a vincente vapore nuboſo, ſed vt illius ſe validioris vim ſubterfugiat, omni conatu refugit illius congreſſum, ſe intra ſe quodammodo abdens; indignatione tamdem velut ad deſperationem perducta, iraſcitur in fulmen; &, vt ait r Poeta,

r Virg 11. Aen.

Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.

etenim exhalatio ira exardens in fulmen, cum magno ſonitu fugit indignata ſub nubes opacas. Quam ſententiam ex Poſidonio retulit ſ Seneca dicens, *E terra terreniſque omnibus pars humida efflatur, pars ſicca & fumida: hac fulminibus alimentum eſt, illa imbribus: quicquid in aera ſicci fumoſique peruenit, id includi ſe nubibus non fert, ſed rumpit claustra; inde eſt ſonus, quem nos tonitruum vocamus. In ipſo quoque aere quicquid attenuatur, ſimul ſiccatur, & calet: hoc quoque ſi incluſum eſt, aque fugam quarit, & cum ſono euadit: & modo vniuerſam eruptionem facit, eoque vehementius intonat; modo per partes, & minutatim: ergo tonitrua hic ſpiritus exprimit, dum aut rumpit nubes, aut peruolat. Volutatio autem ſpiritus, in nube induci, valentiſsimum eſt accendendi genus.* Verum ſi tractemus de congreſſu Vulcani cęleſtis, hoc eſt, elementi ignis Lunam attingentis, cum Diſcordia nuboſę Antiperiſtaſis in media regione aeris vigente; tum ratione propoſita. tum alia quoque non amore, ſed indignatione compelluntur ad congreſſum; etenim ignis elementum naturali appetitu cupit in loco leuium ſupra totum aerem ſemper conquieſcere; nec vllas ſui partes deorſum in aerem medium ſponte demittit; quare non amore ductus ille Vulcanus ęthereus congreditur cum Diſcordia Antiperiſtaſis intra nubes aeris medij vigente; ſed indignatione compellitur ad congreſſum cum ea per aliquot ſui partes illuc violente pręcipitatas; indignatio vero eſt cum cęleſti corpore, quod motu ſuo diurno

ſ 2. nat. qu. cap. 54.

conci-

concitatiſſimo ſimul rapiens in gyrum vniuerſum elementum ignis, turbat illius quietem optatam in loco proprio; & vtcumque reluctantis ignis aliquas partes a toto diſcerptas violente detrudit, ac ſpargit in ſubiectum aera; & non raro in caſtra ſui hoſtis infenſiſſimi Vaporis aquei, ac in manus Diſcordiæ, ſeu Antiperiſtaſis; a qua vndique illæ circumuentæ circumobſeſſæque ad necem, præter vtriusque luctantis ac repugnantis intentionem, aut ſpem, deſideriumue, conuertuntur atque truduntur in fulmina: in hoc enim quoque fulminum ortu ex igne ſuperno, nubium vapor aqueus qui Diſcordiæ nomine ob Antiperiſtaſim deſignatur, & halitus igneus hypeccaumatis, qui Vulcani menſtruum dicitur, non appetunt naturaliter in vnum iungi; quum ſint contraria, mutuoque ſeſe deſtruere tententi: quare non copulantur amore, appetituue naturali; ſed vterque alterum velut hoſtem ſuum odit, & veluti contrarium refugit; & ab indignatione ſola compulſi congrediuntur ad pugnam; vapor aqueus nubium, vt halitum igneum ſuffocet ac extinguat ipſum vndique circumobſidet, eique fugere validiorem hoſtem tentanti, atque per cuniculos qua facta ſeu data rima ad ſupera volare paranti, circumobſiſtit vndique, omnemque viam ſuperius euadendi occludit: halitus vero igneus viciſſim per vices in circumfuſum vaporem aqueum nubis impetum facit, vt eum abſumat exſiccans, transfodiatque penetrans; concetraturque, ac in ſe cogitur, quaſi retrocedens vt validiore cum impetu feriat aduerſarium. Quare iam vterque Vulcanus & cœleſtis, & terreſtris ad congreſſum cum Diſcordia, ex quo congreſſu Pyronarcha gignitur, non amore ducuntur, ſed indignatione compelluntur. Sed & ob hunc inuitum & indignabundum, ac ſine amore congreſſum Vulcani cum Diſcordia in generatione Pyronarchæ, fortaſſis *r* Ariſtoteles dixit, fulmina fieri non ſecundum ordinem naturæ, ſed ſecundum inordinatiorem naturam primi elementi corporum. Profecto de tali vtriuſque Vulcani, & Diſcordiæ congreſſu non amico, ſed hoſtili, non maritali, ſed martiali, vnde conſequitur tamen generatio Pyronarchæ, Seneca non ſemel meminit; primum quidem de congreſſu ignei elementi cum nubibus, inquiens, *u* *Non deſcendit ignis, ſed præcipitatur*, ſcilicet, de proprio elemento in nubes a cœlo. Deinde vero de congreſſu fumoſi ſpiritus cum aqueo vapore, dicens *x* *Fulmen eſt coactus ignis, & impetu iactus: ſolemus duabus manibus inter ſe iunctis aquam concipere, & compreſſa vtrimque palma in modum ſiphonis* expri-

r 1. meteo. ſu. 1. ca. 1.

u 2. nat. qu. cap. 13.

x cap. 16.

exprimere: ſimile quiddam & illic fieri puta: nubium inter ſe compreſſarum anguſtia medium ſpiritum emittunt, & hoc ipſo inflammant, & tormenti modo eliciunt; nam & baliſtæ quoque, & ſcorpiones tela cum ſono expellunt. Sed hoc ipſum multo prius dixerat *y* Ariſtoteles
y 1. meteo. ſu. 4 cap. 1. ita, *Quapropter & fulmina, & procellæ, & omnia talia feruntur deorſum; quamuis natura ſit ſurſum ferri calidum omne; ſed ad contrarium ſpiſſitudinis neceſſarium eſt fieri extruſionem, veluti nuclei ex digitis exilientes*. & mox. *Quæcumque autem intercluditur ſicca exhalatio in tranſmutatione aeris, qui infrigidatur, hæc coeuntibus nubibus excernitur; vt autem lata, & offendens continentes nubes, facit percuſſionem, cuius ſonus vocatur Tonitruum. Fit autem percuſſio eodem modo (vt aſſimiletur maiori minor paſsio) ei, qui in flamma fit, ſono, quod vocant hi quidem Vulcanum ridere, hi autem Veſtam, hi vero comminationem horum: fit autem quando exhalatio, quæ in flammam conuertitur, feratur, quum rumpuntur, & ſiccantur ligna: ſic enim & in nubibus, quum ſit ſpiritus excretio in ſpiſſitudinem nubium incidens, facit tonitruum*. & mox. *Spiritus autem extruſus vt plurimum quidem ignitus* &c. & non multo
z 1. meteo. ſu. 1. ca. 2. poſt. *z Si autem in ipſa nube multus & tenuis extrudatur ſpiritus, his fit fulmen*. & in libro de Mundo, *a flatus vero in nube implicitus &*
a cap. 3. *craſſa & humida, continuatum nubis ſpiſſamentum violenta eruptione perfringens, mugitum edere cum ingenti fragore ſolet, qui Tonitru dicitur, modo haud abſimili ſpiritus vehementis in aqua impulſi. Fulgetra eſt ſpiritus igneus & coruſcans dum nubes dirumpitur, quæ tonitru antecedere ſolet, quum tamen poſt ipſum fiat; ſiquidem quod oculis percipitur, ei quod auribus obiectum eſt, anteuertere natura comparatum eſt: quippe illo e longinquo aſpectabili, hoc tum demum exaudibili, quum auribus appulſum ſit; præſertim quando alterum omnium naturarum celeritate maxima præditum eſt, ignita ſcilicet natura. alterum minus volucre, quod eſt naturæ ſpirabilis & aereæ, non antequam aures pepulerit, ad auditum peruenit: at vero quod fulſerit, ſi ad terram vſque curſim illiſum ſit, fulmen vocatur*. Quare fulmen enaſcitur ex colluctatione ac pugna violenta inter halitum igneum, qui extruditur, & nubes denſiores ipſum extrudentes; interque fumeam exhalationem violenter in nubium ſpiſſamentum irrumpentem, & vaporem aqueum illam corrumpere deſtruereque geſtientem; quapropter ad generandum fulmen non amore, naturalique appetitu ducuntur, ſed indignatione ad martialem potius quam ad Venereum congreſſum hoſtilibus animis compelluntur ſpiritus igneus, & vapor aqueus, ac per hos Vulcanus, atque Diſcordia. Quod & apud

apud *b* Senecam repetit Anaximandrus, cui *ignis impactus nubibus frigidis ſonat: at quum illas interſcindit, fulget: & minor vis ignium, fulgurationes facit; maior fulmina.* Sic igitur apte ac vere ſcribit Autor noſter, in generatione Pyronarchæ Vulcanum, & Diſcordiam non amore duci ad coitum, ſed indignatione compelli ad congreſſum. Et hac in re Poeta mirifice decorum ſeruat tum Diſcordiæ, tum etiam Vulcani; Diſcordiæ quidem, cui rectiſſime negat Amoris munera; quum enim Amor ſit animorum coniunctio; nam Ariſtoteles definit *c* Amicitiam eſſe duorum vel plurium coniunctionem in anima vna: Diſcordia vero quum dicatur, quia diuidit corda; certe fieri nequit vt Vulcanus, & Diſcordia congrediantur Amore ducti ad coitum: Vulcani autem, quia tum phyſice ob maximam ignis actiuitatem ac voracitatem, nulla res appetit cum eo iungi atque miſceri; eſt enim veluti Lamia, quæ deuorat omnes, quibus cum nubitur; vt conſtat ex Rhodigino, cui & *d Lamiam Antiqui vocabant quemcunque voracem:* & *e Lamiæ ſunt in Venerem procliues, & ſecum concumbentes mox deglutiunt* tum etiam poetice Vulcano non permittuntur coitus niſi violenti & inuiti; qui ſiquidem vt maſculus nec Venerem vxorem ad votum habere potuit; quæ virum fumo, & natura deformem delicatula refugiens, ad Martis, Mercurij, Adonidis, & Anchiſæ complexus vltro ſe ſe dabat: nec Mineruam ſibi pretium fabricatorum *f* fulminum a Ioue conceſſam, ſuæ libidini obſequentem habere valuit; circa quam repugnantem effuſo ſemine genuit Erichthonium anguinis pedibus: idem Vulcanus nunc vt femina cum Diſcordia maſculo, non amore, ſed indignatione congredi coactus eſt.

b 2. nat. qu. cap. 19.
c 2. mag. mor. cap. 12. 18. 9. ethic. cap. 8. 7. eudem. cap. 7.
d lib. 24. cap. 5.
e lib. 29. cap. 5.
f Lucian. in Philopſeud.

QVANDOCVMQVE AVTEM IVPITER PYRONARCHAM MITTIT IN MVNDVM.

QVum hactenus Aenigmatiſta duas in gripho tractauerit fulmineæ naturæ cauſſas; materialem ſcilicet, ac effectricem; & vtramque tam mediatam, quam immediatam; nec reticuerit locum proprium, in quo fulmen generatur: eius enim materiam mediatam dixit eſſe ignem ſub nomine Vulcani; quem aſſignauit in matrem Pyronarchæ: Quumque Vulcanus viſus ſit apud Poetas habere duplicem officinam, vnam in cœlo, alteram ſub terra; connotauit fulmina ſobolem eſse quandoque ignis aere ſuperioris; quandoque ignis in terra æſtuantis: fulminis autem materiam immedia-

media-

mediatam conſtituit eſse Vulcani menſtruum; quod nos vidimus eſſe tum partes impuriores ignei elemēti per violentam cęlorum rotationem deorſum actas in nubes aeris mediam regionem obſidentes: tum fumidas exhalationes ex igne intra terram ardente ſurſum emiſſas in aerem medium. Quem aerem mediæ regionis veluti locum aptum, in quo fulmina gignantur, non ab re nuncupauit aluum Vulcani. Eiuſdem vero fulminis cauſsam effectricem mediatam, quæ foret myſticæ Pyronarchæ pater, voluit eſse Diſcordiam, quæ ſuperius visa nobis eſt eſse Antiperiſtaſis: cauſsam, autem effectricem proximam, quæ ſeminis vices obtineret, obſeruauimus eſse vaporis aquei denſiorem conſiſtentiam in craſſis nubibus. Nunc Autor ad exactam deſcriptionem generationis Pyronarchæ ſuæ, reliquas duas cauſsas fulminis, formalem ſcilicet, atque finalem attingit; connotans vna tempus, quo talis generatio naturaliter editur; quin & loca, ſeu regiones, in quibus fulmina cadere conſueuerunt; imo, & admirabiles fulminum effectus. Sane fulminis forma eſsentialis conſiſtere tota videtur in quattuor attributis; vt enim miſti forma, quæ temperamentum dicitur, eſt conſurgens ex quatuor primis qualitatibus in vnum iunctis; ita fulminis forma eſt quædam innominata natura, quæ quatuor his attributis continetur, fragore magno, qui tonitruum dicitur; fulgore eximio, vnde præcipue denominantur fulmina; quaſi fulgores minaces; calore igneo, quo comburit fulmen omnia propemodum a ſe tacta; & motu concitatiori ex æthere in terras: hæc omnia

g 8. Aeneid. vt nobis apte deſignant alij Poetæ; potiſſimumque g Virgilius, cui fulmina Ioui deijcienda e cœlo in terras, fieri dicuntur Bronte, qui Tonitruum eſt; Sterope, qui fulgor; & Pyracmone, qui calor igneus: ita belliſſime nobis ob oculos ponit Aenigmatiſta his verbis, *Quandocumque autem Iupiter Pyronarcham mittit in mundum*; nam calorem igneum ſatis indicat vox Pironarca *flaua-velox*, vel Pyronarcha, *flamma-princeps*: Quin & ex eodem nomine fulgorem eximium colligimus; nam flaua velox nil aliud eſt quam flamma; quæ ſola mirifice fulget inter ignium ſpecies; purus enim ille ſimplex ignis in elemento ſupero non fulget ob ſummam ſuæ ſubſtantiæ raritatem, ac tenuitatem; qua viſus aciem terminare

h 2. de an. t. 66. & seqq. non poteſt, ac eſse viſus obiectum; cuiuſmodi eſt omne h fulgidum: ignis autem carbo, qui & pruna dicitur, ob multam terræ admiſtionem, vt ait i Theophraſtus, habet lucem admodum tur-

i lib. de I- bidam: quare flamma quouis igne ſplendidior eſt; quo nomine fortaſ-

fortaſſis Ariſtoteles eam appellauit x maxime ignem: Pironarca igitur quum ſit fulua-velox, adeoque flamma; nam purus ignis etſi velox eſt, fuluus tamen non eſt; & carbó, ſeu pruna licet fuluus ignis eſt, velox tamen non eſt; ſola flamma eſt fulua-velox; qui ergo fulmen appellat nomine Pironarcæ, nunc Aenigmatiſta fulgorem illius indicat, & motum concitatiorem. Qui motus etiam fulminis concitatiſſimus de ſublimi aere in terras indicatur ab Autore noſtro, cui Iupiter mittit Pyronarcam in mundum; miſſio ſiquidem illa motus eſt; & miſſio a Ioue, qui conſtituitur validiſſimus omnium Deorum, ac plane l omnipotens, motus eſt velociſſimus: Iouem autem poni potentiſſimum inter omnes Deos, conſtat ex m Homero Iouem inducente talia loquentem,

x 2. de gener. t. 28.
l Virg. 10 Aeneid.
m 7. Iliad.

Aurea ſit vobis Superi ſuſpenſa catena
De cœlo: hanc trahite o Diui, cætusque Dearum:
Sed non detrahere e cœlo, neque vincere ſummum
Vlla Iouem poterit vis, labor omnis inanis.

ſcilicet ad indicandum ſummam Iouis potentiam, fingit Homerus auream catenam, de qua pendebant omnes Dij, conantes detrahere Iouem ex æthere; quorum tamen conatus fuit irritus: Miſſio igitur a Ioue validiſſimo, eſt motus concitatiſſimus; & miſſio a Ioue in mundum, eſt motus de ſublimi deorſum in terras; nam Iuppiter a Poetis omnibus in cœlo, ſeu in igne, ſeu in aere ſublimi collocatur; in cœlo quidem, vt ait n Virgilius, vnde omnia ſpectat, & omnia noſtra cia regit,

n 1. Aen.

Et iam finis erat, quum Iupiter æthere ſummo
Deſpiciens mare veliuolum, terraſque iacentes,
Littoraque, & latos populos; in vertice cæli
Conſtitit, & Libyæ defixit lumina terris.

In igne autem, non illo qui ſub terra concluſus ardet, ſed qui ſupereminet omnibus elementis; quem fortaſſe o medium inter cœlum, ac terram; ſeu inter elementum graue, & elementum neutrum, Pythagorici nuncuparunt Iouis cuſtodiam procul a terra; vt innuit p Ariſtoteles: verum, & Phornutus id confirmat, q cui *Deinde certe æther ac ſplendor, & purus ignis eſt Iupiter: at ille, qui in vſu eſt, ac aeri miſcetur, ἥφαιστος, id eſt, Vulcanus dictus eſt.* In aere autem ſummo, vt apud Virgilium multis in locis; illi enim

o Ariſ. 1. cœl. t. 91.
p 2. cœl. t. 73.
q de nat. Deo. cap. de Vulc.

Iupiter r & læto deſcendit plurimus imbri.
. . . . *& ſ Iupiter humidus Auſtris*

r ecl. 7.
ſ 1. Georg.

t 1.Georg. *Et t iam maturis metuendus Iupiter vuis.*

Sonitus vero fulminis, ſeu Tonitrus nijſdem verbis exprimitur; quia velociſſimus motus in aere cuiuſcumque corporis, etiam tenuiſſimi, vti ventus eſt, exhalatione fumoſa, magnum fragorem edit; nam & ſine globis ferreis, puluere ſolo pyrio repleta, igneque adhibito diploſa tormenta bellica, fulminum imitantia, ſonum ingentem edunt: & a ventis impetuoſe per aera furentibus magnos excitari ſonos obſeruauimus non raro. Scite vero fulmi-

u 4. ſymp. qu. 2. na mitti a Ioue dicit Aenigmatiſta, quoniam, vt ait u Plutarchus, *Tonitrubus, & fulminibus maxime opinio quaedam diuinitatis adeſt*; nempe mirabiles adeo ſunt fulminum effectus, ac operationes, vt non a natura citra cognitionem agente, nec a natura mere corporea vibrari videantur, ſed a ſummo Deo illa dirigente; ſed Plutarchum audiemus hac de re fuſius infra. Sic ergo formalem cauſſam fulminis, ſeu eius formæ attributa eſſentialia pulchre nobis deſignauit in Aenigmate noſter Autor. Ceterum quatuor hæc attributa conſtituere formam, ideamque fulminis, docent Philoſophi, dicunt Poetæ; Philoſophi quidem, etenim primum Ariſto-

x 1.meteo. ſu.4 cap. 1. teles ait, x *Quapropter & fulmina & procellæ, & omnia talia feruntur deorſum, quamuis natura ſit ſurſum ferri calidum omne: ſed ad contrarium ſpiſſitudinis neceſſarium eſt fieri extruſionem*: quibus habemus fulmina eſſe corpora calida, e ſublimi aere, in quo gignuntur, nata ſurſum adhuc ferri; adeoque ignea; adeoque leuia; non autem lapides, vt mulierculæ putant & idiotæ, ac neſcio qui ſcribere y non dubitarunt; extrudi tamen deorſum motu violento. &

y Caſtr. 1. de met. mier. c. 15. mox addit Ariſtoteles, z *ſic enim & in nubibus quum fit ſpiritus ex-*

z 2.meteo. ſu 4.cap. 1. *cretio, facit tonitruum* (ecce magnum ſonum fulminis) *ſpiritus autem extruſus vt plurimum quidem ignitur ſubtili, & debili ignitione; & hoc eſt, quod vocamus coruſcationem*: vnde colligimus fulmen, quod eſt quid coruſcatione potentius, igniri validiori, & craſſiori flamma. Deinde Seneca de propoſito ſcribit, a *fulmen celerri-*

a 2. nat.qu. cap. 58. *mi motus eſt; ſimul & nubes rumpit, & aera incendit: deinde deſinit*

b in K. *flamma, quieſcente motu*. Præterea Suidæ, b *fulmen eſt ardor vehemens magis impetu cadens in terram; nubibus inter ſe attritis, aut ruptis; vel vortex igniti aeris, violenter delatus*. Poetarum quoque Latinorum princeps Virgilius hanc fulminis formam mire nobis

c 2. phyſ.t. 12 & 28. deſcripſit; quum etenim forma tribuat c eſſe rei, fulmina formari

d 8. Aeneid. ſtatuit, dum d

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro . . . . . .

Bron-

Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon:
His informatum manibus iam parte polita
Fulmen erat, toto genitor quæ plurima cælo
Deijcit in terras, pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radij, tres nubis opacæ
Addiderant, rutili tres ignis, tres alitis Auſtri.

Vis magnum tonitrui ſonum? is eſt d Brontes: magnum fulgorem in ful mine quæris? hic eſt e Steropes: igneum calorem cupis? nec tibi deerit nudus, membra Pyracmon, addens tres partes ignis rutili; ſi denique requiras motum concitatiorem in fulmine; hunc tibi dabit & Iupiter Deorum robuſtiſſimus fulmina deijciens e toto cœlo in terras; & partes illæ tres alitis Auſtri. Quatuor itaque conſtituunt ideam, & formam fulminis, fragor ingens tonitrui, ſplendor eximius velut aſtri, calor intenſior ignis, & motus celerrimus ex alto in terras: quæ omnia mirifice contegit Autor ænigmatis, vt vidimus, hiſce verbis,

d Ariſ. de mun. ca. 5. 2. meteo. ſu. 4. cap. 1.
e Ariſ ibid. 9. 2c.

QVANDOCVMQVE AVTEM IVPITER PYRONARCHAM MITTIT IN MVNDVM.

CEterum & iiſdem notis Aenigmatiſta complectitur vtcumque fulminis etiam cauſſam finalem; & optimo iure; nam hæ duæ cauſſæ formalis, & finalis, adeo arcto neceſſitudinis vinculo coniunctæ ſunt, vt in vnam ferme coincidant, Ariſtotelis obſeruatu; *Ponimus enim;* f ait, *cauſſarum genera quatuor numero; primum, cuius gratia, vt finem: ſecundum, ſubſtantię rationem; quæ quaſi vnum quoddam fere exiſtimanda ſunt: tertium vero, quartumque, materiam, & id vnde principium motus. Sed quum de cęteris dictum iam ſit; ratio enim, & id, cuius gratia, vt finis, idem eſt.* Merito igitur ad hanc formæ ac finis affinitatem maximam indicandam, ſub iiſdem verbis vtramque cauſſam noſter Autor occuluit; formalem ſcilicet cauſſam, & quamdam finalem cauſſam fulminis: Quum enim cauſſa finalis abſolute gemina ſit, cui, & cuius gratia; vt non vno in loco monet g Ariſtoteles; propoſita griphi ſententia peragit de fine cui; quia Iupiter eſt finis, cui fulmina deſeruiunt, & vtilia ſunt ad puniendos malos, & ad comburenda bonorum ſacrificia ſibi placentia; vt Faber eſt finis, cui ſerra, malleus, & alia inſtrumenta ſunt vtilia, & famulantur ad operandum: vt anima eſt finis, cui corporis omnia membra, ceu organa ſunt vſui, ac ſeruiunt

f 1. de gen. an. cap. 1.
g 2. phyſ. t. 24. 2. de an. t. 33.

h 2. de ani. uiunt ad vitæ functiones plurimas obeundas, quod notauit h Ari-
t. 36. 37 ſtoteles; qui collaudauit etiam vetuſtioris Anaxagoræ, ſeu Her-
i 2. meta. motimi Clazomenij dictum, aſſerentis, i ita Deum eſſe in mun-
ſu. 2. c. 2. K 12. me. do, vt intellectus eſt in animalibus. Sic itaque Deus eſt finis,
ta. t. 56. cui deſeruiunt fulmina plerumque ad continendos mortales in
officio, atque ad recte K gubernandos homines; vt Princeps in
ciuitate finis eſt, cui deſeruiunt Lictorum faſces, & faſcibus alli-
gatæ Secures, quin & fulminum imitamenta igniuomæ fiſtulæ, ad
regendos populos, & coercendos prauos homines a facinoribus:
Deum autem id eſſe in mundo, quod Princeps eſt in ciuitate, non
l 12 meta. ſemel l dixit Ariſtoteles. Indicat ergo noſter Autor finem ful-
t. 52. † de mũd. minis eſſe Deo ſeruire velut inſtrumentum, dum ait, Pironarcam
ca. 7. a Ioue mitti in mundum; nimirum vſus fulminis eſt miſſio a Deo;
nam eſt ſummi Dei telum e miſſilium genere; non eſt vt falx Sa-
turni, ſeu Mortis inſtrumentum; nec vt gladius Martis; nec vt
haſta Palladis, quæ mortalibus etiam communia ſunt arma, &
miſſilia non ſunt; ſed fulmen eſt proprium Iouis telum, id-
que miſſile. Sequi videtur autem Aenigmatiſta nunc veterum
m 2. nat. Etruſcorum opinionem, qui m Senecæ relatu, conſtituunt omnia
qu. cap. 41. fulmina mitti a Ioue: Quibus etſi Seneca non aſſentit, n negans
n cap. 42. Iouem omnia fulmina mittere; ſtatuensque in hoc Antiquitatem
errare; non tamen errat hic Aenigmatis autor inquiens fulmen
a Ioue mitti; tum quoniam Deus omnium prima cauſſa concur-
rit ad omnes effectus promouendos; vt nihil omnino fiat in re-
rum natura, cuius Deus non ſit primus autor, & cauſſa ſuprema:
tum quia quibus fulminibus Deus non icit improbos homines,
ijs ſaltem eos admonet, ac ad frugem bonam appellat, & ceu mi-
nis a malo retrahere ſatagit: tum quia noſter Autor ſpeciatim de-
ſcribit hic ea fulmina, quæ a Deo mittuntur; quod aperte nobis
indicat & nomen *Pyronarchæ*, ſi ita legendum ſit, quod flammam
Principis deſignat: & particula *Quandocumque*, qua veluti coar-
ctatur hæc fulminum conſideratio ad ea, quæ a Ioue mittuntur:
tum demum, quia quum nemo negare valeat pleraque fulmina
o Exod. c. mitti a Deo, ſiue o ſacras, ſiue p prophanas inſpicias hiſtorias;
19. p Suid. in nam & in Exodo legimus a Deo in monte Sina *cœperunt audiri to-
nitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem.* & apud
Suidam habetur, *Lycaon Pelasgi filius, rex Arcadum, patris inſti-
tuta tuebatur, iuſtitiæ ſtudioſus: Qui quum & populum ſuum arcere vel-
let ab iniurijs, aiebat Iouem ſubinde ad ſe accedere, homini peregrino*

ſimi-

ſimilem, ad intuendos iuſtos & iniuſtos: Aliquando autem quum Deum ſuſcepturus eſſet (vt ipſe aiebat) ſe rem diuinam feciſſe: filios vero ſuos, qui e diuerſis nati eſſent mulieribus explorare volentes, quinam ſacrificio intereſſent, & verene Deum hoſpitio ſuſcepiſſent, immolato puero, carnes eius cum victima carnibus permiſcuiſſe; quod ad clam futurum non eſſet, ſi vere Deus intereſſet. Sed quum diuinitus magna tempeſtates & fulmina extitiſſent, aiunt omnes pueri interfectores periiſſe.

Quum igitur a Deo fulmina pleraque mittantur; & hæc ſint fulmina præcipua; Iam ſemper abſolute pronunciatum nomen fulminis accipi debet in præcipuo ſuo ſignificato. Dicitur autem fulmen a Ioue mitti in Mundum, Mundi nomine ſignificando vel genus humanum, qui paruus Mundus q Ariſtoteli; vel Mundum terrenum, qui vulgo dicitur orbis terrarum; quia fulminum motus eſt e nubibus, aerem medium obſidentibus, ad terras; nubes etenim extrudunt fulmina deorſum ad terram, non ſurſum ad æthera; quia ignis ſurſum ſponte contendit, non violente pellitur ad ſupera; quum motus fulminis e diſcordia nati non niſi violentus eſſe queat? Et ſcienti non eſt cur Iuppiter velit fulminare ſupera; ſic apud r Senecam recte, *Pars ſuperior Mundi, & ordinatior, ac propinqua ſideribus, non in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbinem; inferiora fulminant*: & docte apud Ariſtotelem, ſ *Spiſſior quum fiat conſiſtentia nubium ad vltimum terminum; qua enim deficit calidum, quod diſgregatur in ſuperiorem locum; hac ſpiſſiorem, & frigidiorem neceſſe eſt eſſe conſiſtentiam; quapropter & fulmina & procellæ & omnia talia feruntur deorſum; quamuis natum ſit ſurſum ferri calidum omne; ſed ad contrarium ſpiſſitudinis neceſſarium eſt fieri extruſionem, velut nuclei ex digitis exilientes.* Quam theoriam etiam alibi t repetit Ariſtoteles, vt antea vidimus: Nempe fumoſa exhalatio ſurſum aſcendens, ſi comprehenditur in aere medio a denſiori nube, ſimul & per antiperiſtaſim cogitur in flammam, & a contrario vapore præcipitatur deorſum; quum ſpiſſitudinem nubis ſupra ſe degentis perforare nequeat: eſt enim nubis portio ſuperior denſior quam inferior, quia calor eam tenuare valens totus inde latus eſt in elementum ignis. Itidem portio hypeccaumatis ex igneo elemento deorſum pulſa in nubes, ſi non adeo infra proiecta fuerit, vt ſupra ſe nubes niſi ſubtiles ac tenues habeat, ab ijs ea non cogitur in flammam, nec vlterius deprimitur; ſed rurſum ſine ſtrepitu perforatis nubibus tenuioribus aſcendit in priſtinum locum le-

q 8. phyſ. t. 17.

r 3. de Ira cap 6.

ſ 2. meteo. ſu. 4. c. 1.

t de mund. cap. 3.

uium

uium ſponte ſua: ſed ſi deorſum truſa fuerit, in magnam nubium altitudinem, quæ circa ipſam addenſentur; hæc ab ijs vndique circumobſeſſa cogitur, ac vertitur in flammam; & deſuper impulſa violente truditur in fulmen ad inferi Mundi plagas.

VEL INCENDIT, VEL ETIAM TREMEFACIT VNIVERSVM.

MIro quidem artificio, miraque verborum paucitate noſter Autor nunc ſimul attingit & duas ſupremas fulminum, præſertim a Deo miſſorum, differentias; & geminum finem, cuius gratia Deus fulmina mittit in terras; connotatque tempus, quo phyſice fulmina generantur in aere. Differentiæ vero fulminum duæ ſunt; quia fulminum abſolute alia attingunt aliquid in terra combuſtibile, alia nihil attingunt; profecto, quæ attingunt aliquid combuſtibile, ea illud incendunt; quæ vero nihil attingunt, ſed in aere prius extinguuntur, quam ad terram perueniant, ea tantum tremefaciunt homines: vel potius fulminum alia ſunt pacifica, & gratioſa; quæ tantum incendunt, non etiam metum incutiunt hominibus; alia ſunt fulmina punientia, quæ non ſolum incendunt, ſed etiam tremefaciunt vniuerſum. Ad quæ duo genera facile rediguntur illæ tres fulminum ſpecies, de
u lib. 10. cap. 19. quibus tum Feſtus apud u Rhodiginum ait, *Fulgura trium generum ſunt; poſtularia, peſtifera, peremptalia: poſtularia votorum, aut ſacrificiorum ſpretam religionem deſiderant* (ecce fulmina pacifica) *peſtifera mortem, aut exilium denunciant* (ecce fulmina punientia) *peremptalia, ſuperiorum fulgurum, portentorumque ſignificationem perimunt* (adeoque ad pacifica referuntur) (*Cæcinna quoque, tradente Seneca, poſtularia interpretatur fulmina, quibus ſacrificia intermiſſa, aut non rite facta repetantur*: tum etiam Etruſci vetuſtio-
x 2. nat. qu. cap. 41. res, apud x Senecam, qui conſtituunt omnia fulmina mitti a Ioue; quorum tria genera ponunt; primi generis ſunt fulmina placata, & monitoria; quæ mittit Iupiter ſuo ſolo conſilio: ſecundi generis ſunt fulmina nocentia; quæ Iupiter mittit aduocatis in concilium duodecim alijs Dijs: tertij generis fulmina ſunt deuaſtantia, mutantiaque ſtatum priuatum, & publicum; quæ mittit Iupiter adhibitis ad concilium Dijs alijs, quos Inuolutos nominant: Verba Senecæ ſunt, *Fulmina dicunt a Ioue mitti; & tres illi manubias dant: prima (vt aiunt) monet, & placata eſt; & ipſius con-*

ſilio

ſilio Iouis mittitur: Secundam mittit quidem Iupiter, ſed ex concilij ſententia; duodecim enim Deos aduocat: hoc fulmen boni aliquid aliquando facit, ſed tunc quoque non aliter quam vt noceat; ne prodeſt quidem impune; Tertiam manubiam idem Iupiter mittit; ſed adhibitis in conſilium Dijs, quos ſuperiores & Inuolutos vocant; quæ vaſtat, & includit, & mutat Statum priuatum vtique & publicum, quem inuenit: Ignis enim nihil eſſe, quod ſit, patitur. Vt aperte pateat, ex his tribus fulminum manubijs primam ſolam conſtituere genus pacatorum fulminum; duas alias poſteriores contineri ſub genere fulminum nocentium. Quæ duo ſuprema fulminum genera tetigit, deſcripſitque noſter Autor inquiens in fine griphi, Iouem, dum fulmina mittit, vel incendere, vel etiam tremefacere Vniuerſum. Porro de fulmine pacifico, quod tantum incendit, non item tremefacit vniuerſum, apte y Virgilius loquitur ita, y 2. Aeneid.

At pater Anchiſes oculos ad ſidera latus
Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit:
Iupiter omnipotens, precibus ſi flecteris vllis,
Aſpice nos, hoc tantum: & ſi pietate meremur,
Da deinde auxilium pater, atque hæc omnia firma.
Vix ea fatus erat ſenior, ſubitoque fragore
Intonuit læuum, & de cœlo lapſa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram ſe condere ſilua,
Signantemque vias: tum longo limite ſulcus
Dat lucem, & late circum loca ſulphure fumant.
Hic vero victus genitor ſe tollit ad auras:
Affaturque Deos, & ſanctum numen adorat.
Iam iam nulla mora eſt: ſequor, & qua ducitis, adſum.
Dij patrij ſeruate domum, ſeruate nepotem.
Veſtrum hoc augurium, veſtroque in numine Troia eſt,
Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuſo.

Huiuſcemodi quoque fuiſſe fulmen arbitror, quod z recenſuit Plutarchus inquiens, *Alexandri infantis etiamnum cunas fulmen incendit, corpore intacto, veſtigio dumtaxat ignis in fronte relicto a coma comprehenſi: Cumque iam virilem attigiſſet ætatem, rurſum illo dormiente fulmen in domicilium incidit, ac prope eum ſuſpenſam pharetram pertranſijt, ſagittis incenſis. Ex eo Vates pronunciauerunt maximam ei fore potentiam ſagittaria re, & leuis armaturæ exercitu Vulgo au-* z 1. ſymp. qu. 6.

go autem Bacchus appellatus eſt, quod ſimilia eius fulminibus accidiſſent. De Fulmine vero nocente, tum Suidas [a] in ſuperioribus agens de Lycaonis filijs, vt vidimus; tum multi peragentes de Sodomorum excidio; inter quos numerantur Solinus, Tacitus, & Maginus: Solinus quidem inquiens, [b] *Longo ab Hieroſolymis receſſu triſtiſsimus panditur; quem de cœlo tactum teſtatur humus nigra, & in cinerem ſoluta* (de cœlo namque tacta dicuntur nonniſi fulminata [c] Plutarcho, & alijs veteribus) *Duo ibi oppida; Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrum; apud quæ pomum gignitur, quod habeat ſpeciem licet maturitatis, mandi tamen non poteſt, nam fuliginem intrinſecus fauillaceam ambitio tantum eximiæ cutis cohibet, quæ vel leui tactu preſſa, fumum exhalat, & fatiſcit: in vagum puluerem.* Adiecit pomis [d] Egeſippus & vuas aſſerens, *Species illic ſpeciem, poma viridantia, formatos vuarum racemos, vt edendi generent ſpectantibus cupiditatem: ſi capias, fatiſcunt, ac reſoluuntur in cinerem; fumumque excitant, quaſi adhuc ardeant.* Diuus autem [e] Cyprianus adiecit pyra, & omnia prope fructuum genera ſic,

Nullus arat fruſtra piceas fuligine glebas,
Semiperempta etiam ſi qua illic iugera lætas
Autumni conantur opes fac le optima ſeſe
Promittunt oculis pyra, perſica, & omnia mala
Donec carpantur: nam protinus indice tactu
Soluitur in cinerem, fit vana fauillaque pomum.

Sed redeamus ad fulmina. Cornelius Tacitus in eamdem ſententiam, poſt deſcriptionem lacus Aſphaltitis, infit, [f] *Haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes, magniſque vrbibus habitatos, fulminum iactu arſiſſe: & manere veſtigia, terramque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe: nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herba tenus, aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleuere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt. Ego ſicut Iudaicas quondam vrbes igne cæleſti flagraſſe conceſſerim; ita halitu lacus infici terram, corrumpi ſuperfluum ſpiritum, eoque fœtus ſegetum & autumni putreſcere reor, ſolo cæloque iuxta graui.* Noſtratium etiam Antonius Maginus de fulminibus illis mentionem habuit inquiens, [g] *Mare mortuum, vel ſalſum, quod etiam lacus Aſphaltites nuncupatur a bitumine, cuius multi olim hic erant putei, eſt locus, vbi fuit olim vallis ſylueſtris, vel ſalinarum, quæ propter fecunditatem & amœnitatem Paradiſo Dei confertur: in qua fuerunt Sodoma, Gomorra, & aliæ tres vrbes, quæ a Domino ob fœdum peccatum contra naturam ſubuerſæ ſunt, ac fulminibus*

[a] in 2.
[b] Polyhiſt. cap. 48.
[c] 4. ſympoſ. qu. 2.
[d] lib. 4. cap. 18.
[e] carm. cont. Sod.
[f] lib. 5. hiſt.
[g] deſcr. Palæſt.

nibus conflagrata. Sic ergo ſunt duo ſuprema fulminum genera, a Deo mitti ſolita in terras; quorum alia pacata ſunt, & tantum incendunt ſacrificia, vel res abſque damno mortalium; alia nocentia ſunt, & non ſolum incendunt cum damno mortalium, ſed etiam homines ſuperſtites tremefaciunt; quod Aenigmatiſta illis verbis prodidit.

VEL INCENDIT, VEL ETIAM TREMEFACIT VNIVERSVM.

QVibus notis duæ quoque cauſſæ finales fulminum attinguntur: Finis enim, cuius gratia Deus fulminat in terras, geminus eſt; vnus quidem eſt in ſignum pacis & gratiæ, alius autem in pœnam & ſeueram prauorum caſtigationem; primi generis ea fulmina ſunt, quibus Deus incendere conſueuit ſacrificia ſibi grata; de quibus & apud ſacros Autores, & apud Ethnicos ſcriptores habemus clara teſtimonia; nam a ſacris ne repetamus
id contigiſſe ſacrificio Abel; quod probauit Dominus igne [b] cæ- [b] Geneſ. c.
litus immiſſo in eius munera, ſicut obſeruat Diuus [i] Hierony- c. 4.
mus; Primum [o] *Dedit ergo Dauid Ornam pro loco ſiclos auri iuſtiſ-* [i] trad. Heb.
ſimi ponderis ſexcentos; & ædificauit ibi altare Domino; obtulitque in Gen.
holocauſta, & pacifica, & inuocauit Dominum; & exaudiuit eum [o] 1. paralip.
in igne de cælo ſuper altare holocauſti. Deinde [p] *Cumque com-* cap. 21.
pleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cælo, & deuorauit [p] 2. paral.
holocauſta, & victimas: & maieſtas Domini impleuit domum; nec cap. 7.
poterant Sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod impleſſet maieſtas Domini templum Domini. Sed omnes filij Iſrael videbant deſcendentem ignem; & gloriam Dei ſuper domum; & corruentes proni in terram ſuper pauimentum, laudauerunt Dominum, quoniam bonus; quoniam in ſeculum miſericordia eius: Hunc autem ignem fuiſſe fulmen coniectari licet ex eo, quod per maieſtatem Do-
mini Lyranus interpretaretur nubem, ex eo quod [q] alibi legitur, [q] 1. Reg.
factum eſt autem quum exiſſent Sacerdotes de Sanctuario, nebula im- cap. 8.
pleuit domum Domini; & non poterant ſacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam; impleuerat enim gloria Domini Domum
Domini. Deinceps [r] *Sicque completis hoſtijs pro peccato, & holo-* [r] Leuit. c.
cauſtis, & pacificis, deſcendit; Ingreſſi autem Moyſes, & Aaron in tabernaculum teſtimonij, & deinceps egreſſi, benedixerunt populo: Appropinquauit gloria Domini omni multitudini: & ecce egreſſus

ignis à Domino, deuorauit holocauſtum, & adipes, qui erant ſuper altare: quod quum vidiſſent turbæ, laudauerunt Dominum, ruentes in facies ſuas. Denique vero, f *Elias ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini; fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiunculas in circuitu altaris, & compoſuit ligna: diuiſitque per membra bouem, & poſuit ſuper ligna, & ait, Implete quatuor hydrias aqua & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna: rurſumque dixit, etiā ſecundo hoc facite: qui quum feciſſent ſecundo, ait, etiam tertio idipſum facite: feceruntque & tertio: & currebant aquæ circum altare, & foſſa aquæductus repleta eſt. Quumque iam tempus eſſet, vt offerretur holocauſtum, accedens Elias Propheta ait, Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael, oſtende hodie quia tu es Deus Iſrael, & ego ſeruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc: exaudi me Domine, exaudi me: vt diſcat populus iſte quia tu es Dominus Deus, & tu conuertiſti cor eorum iterum: cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam quæ erat in aquæductu lambens: quod quum vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait, Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* Qua confeſſione peracta, Deus dedit illis optatam pluuiam, qua caruerant per integrum triennium. Talia quoque, ſcilicet pacifica fulmina, vibrauit olim Deus in vertice montis Sinai, dum eo loquente cum Moyſe, t *Cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem*: tunc enim Deus populo dabat legem ſalutis in monte: ad quem ne populus aſcenderet, præcepit Dominus per Moyſen, ne perirent fulminibus vſti: huiuſmodi vero fuiſſe fulmina, monet cum Suidas, apud quem u *Proverbium eſt* κεραυνὸς ... *fulgur eſt fulmen*; tum ſacra pagina, x Gratias Iſraeli à Deo conceſſas appellans, *argumenta facta per vim fulminum*. Fulminat igitur aliquando Deus vt incendat abſolute vel ſacrificia, vel aereos halitus igne pacifico. Ab Ethnicis etiam hoc ipſum colligere poſſumus; etenim ſimile quoddā prodigium oſtentare ſolitum Dæmonem alicubi in ſacrificijs quæ ſibi offerebantur (adeo ſemper nequiſſimus diuinitatis æmulator, & callidiſſimus ſimulator fuit Dæmon) vel obſeruatu Petronij; tradit Solinus, qui de Sicilia tractans inquit, z *Nec longe inde collis Vulcanius, in quo qui diuina rei operantur, ligna vitea ſuper aras ſtruunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, quum porricias intulerint, ſi adeſt Deus (ſi ſacrum probatur) ſarmenta licet*

f 3. Reg. cap. 18.
t Exod. 19.
u in K
x Sapient. 19.
y lib. 1. in geſ. cap. 4. ve. 4. & 5.
z cap. 10.

licet viridia ignem ſponte concipiunt; & nullo inflagrante, a litato numine fit incendium. Vbi epulantibus alludit flamma, quæ flexuoſis exceſſibus vagabunda, quem contigerit, non adurit; nec aliud eſt quam imago nuncia perfecti rite voti. Alter autem finis, cuius gratia Deus fulmina mittit, veluti ſagittas, vt ait [a] Lyranus, eſt in pœnam malorum; quod quidem fulminum genus non ſolū ſontes incēdit, ſed *etiam tremefacit vniuerſum;* dum enim Deus improbum fulmine percutit, ſimul alios omnes metu percellens bonos etiam tremefacit; quod aperte colligas tum e nomine fulminis, quod nihil aliud ſonat, quam fulgor minax: tum e ſacris litteris, in quibus legimus [b] antea quoque relatam ſententiam, ſcilicet Deum fulminaſſe Leuiathan his plane verbis.

[a] in Iob. 41.
[b] Iob. cap. 41.

Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur: cor eius indurabitur quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus: Quum ſublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.

Quæ metaphora conſuetum Dei morem nobis ob oculos ponit, eodem fulmine puniendi malos, & alijs metum incutiendi, ne peccando ſceleribus inquinentur. Dicit autem vere noſter Autor, huiuſcemodi fulmine miſſo Deum ſimul incendere, ac etiā tremefacere vniuerſum; quia quum vniuerſum diuiſum ſit omne in partes tres, cæleſtem, terreſtrem, & infernam, Deus miſſo fulmine timorem incutere dicitur omnibus harum regionum colonis; De cæleſtibus aperta eſt nuper allata Iobi ſententia, qua dicitur Deus ab initio mundi fulminaſſe cacodæmonem e cælo in barathrum; quo nomine dixit etiam Redemptor Dominus apud Diuum Lucam [c], *videbam Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem:* quibus fulminibus territi dicuntur Angeli, ac metuiſſe: licet enim metaphorica ſit illa Iobi ſententia; metaphora tamen apprime comprobat, Deum ſuæ iuſtitiæ fulminibus incendere, hoc eſt, igni perpetuo damnaſſe malum Dæmonem, ſimul & incuſſiſſe timorem, ac tremorem Angelis in cælo degentibus; quorum alii cum Lucifero fulminati ad infernum ignem perenni combuſtioni damnantur; alij terrore timoreq; illo purgati ne peccent contra Dominum, in cælo perpetua felicitate fruuntur. Sed & [d] Virgilius non ſemel agens de Ioue iurante, ſuumque iuramentum fulmine confirmante, ſcribit in huius ſententiæ confirmationem,

[c] cap. 10.
[d] 9. Aenei. 10. Aen.

Dixerat; idque ratum Stygij per flumina fratris,
Per pice torrentes, atraque voragine ripas

Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

nutus enim ille Iouis proprius eſt, fulminis vibratio apud *e* Heſiodum, & Virgilium *f*; nam Iouem oranti Anchiſæ ſupra vidimus annuere fulmine a læuis mundi partibus immiſſo, ſcilicet ab orientali plaga; quæ ſi ſpectetur in primo mobili, nobis *g* ſiniſtra eſt Ariſtotele doctore; quam rationem fulminis *h* Virgilius habuit, & *i* Cicero; ſi vero conſideretur in planetis, ac Zodiaco eorum, a nobis dextra eſt, quam rationem fulminis, nulla contradictione, habuit Homericus apud Achillem querens de ferocitate Troianorum, neſcioquid hoc modo nuncians, Proſpera Iupiter his dextris fulgoribus edit; nec enim erat vt Cicero quaſi repugnantia diceret, *Ita nobis ſiniſtra videntur; Grays & Barbaris dextra meliora*. Nam eadem orientalia vario reſpectu Græcis dextra vocata, Latinis ſiniſtra, ſunt fulmina meliora. De terricolis mortalibus compertiſſimum cuiuis eſt, homines omnes fulmina timere, fulguribuſque ſubito fragore concuti, & tremefieri; propterea ſiquidem Cæſares lauro coronabantur, quia metuebant fulmina; vt ſupra notauimus ex *K* Plinio, & Rhodigino *l*. Quin & *m* Ariſtoteles eos mortales, qui fulmina non metuunt, non fortes appellat, ſed ſtolidos, & furentes, dum ait, *Cuiuſmodi ſi quis tonitrus, & fulmina non metuat, vel quiduis aliud ſupra hominem horrendum fuerit, non iam fortis, ſed furens*. Conſimiliter his dixerat *n* alibi, *Poſſet tamen ipſe inſanus quidam atque indolens, ſi quidem neque terræmotus, neque inundationes timeat; id quod Celtas facere dicunt*; eadem eſt enim ratio fulminum; quoniam eadem exhalatio facit & terræmotus, & ventos inundationem promouentes, & fulmina procreat, vt ait Ariſtoteles inquiens *o* *Nos autem dicimus eſſe eandem naturam, ſuper terram quidem, ventum; in terra autem, Terræmotum; in nubibus autem, Tonitruum; omnia enim hæc eſſe ſecundum ſubſtantiam idẽ, exhalationem ſiccam; quæ fluens quidem aliqualiter, ventus eſt; ſic autem, facit terræmotus; in nubibus autem, quum transmutationem ſubiens excernitur, coeuntibus & concreſcentibus ipſis in aquam, tonitrua, & coruſcationes, ad hæc alia naturæ eiuſdem cum his exiſtentia*. In eamdem ſententiam Gigantes a Ioue fulminante combuſtos, ac tremefactos concinunt Poetæ; ac ſpeciatim Heſiodus *p*; cui

. . . Pater hominumque Deorumque
Grauiter autem intonuit, atque fortiter, vndique vero terra

e in Theogon.
f 2. Aeneid.
g Ariſt. 2. cæl. t. 14. 15. 16.
h 2. Aeneid.
i 2. de Diuin.
K lib. 15. c. 5.
l Hierogl. 50.
m 1. mag. mor. c. 19.
n 3. ethic c. 7.
o 2. meteo. ſu: 4. cap. 1.
p in Theogonia.

Horrende edidit fragorem, & cœlum latum ſuperne,
Pontuſque, & Oceani fluxus, & infima loca terræ.
Pedibus uero ſub immortalibus magnus contremuit Olympus,
Excitato rege, ingemiſcebat autem tellus.
Ardor autem ab utriſque occupabat nigrum pontum,
Tonitruque & fulguris igne ab iſto immani,
Valde ſpirantium uentorumque, & fulminis ardentis.
Feruebat autem terra omnis, & cœlum, atque mare
Furebat circum littora, circumquaque & fluctus magni
Impetu a Deorum: commotio uero difficilis ſedatu coorіebatur;
Expauit autem Pluto inferis mortuis imperans,
Titaneſque ſub tartarum detruſi, a Saturno ſeorſim exiſtentes
Ob inextinguibilem fremitum, & grauem conflictum.
Iupiter uero poſtquam accumulauit ſuum robur, ſumpſit uero arma,
Tonitruque, fulgurque, & coruſcans fulmen
Percuſſit ab Olympo inſiliens, circum uero omnia
Combuſſit ingentia capita ſæui portenti, & c.

Iurarem ad hæc Heſiodi carmina reſpexiſſe noſtrum Aenigmatiſtam, cum dixit,

Quandocunq; autem Iupiter Pironæream mittit in mundum,
Vel incendit, uel etiam tremefacit Vniuerſum.

Sed & q Ciceroni; *Non ne perſpicuũ eſt ex prima admiratione hominum quod tonitrua, iactuſque fulminum extimuiſſent, credidiſſe ea efficere rerum omnium præpotentem Ioue?* Cete um Seneca non ſolum fulmen, ſed etiam fulgurationem ait eſſe r comminationem, licet ſine ictu; quum fulmen ſit comminatio cum ictu. Quin & fulmini ſpiritum impetuoſum eſſe nouit, quo percuſſa ſ tremefiunt. *Adice nunc*, inquit, *quod neceſſe eſt ut impetus fulminis & præmittat ſpiritus, & agat ante ſe, & a tergo trahat uentum, quum tam uaſto ictu aera inciderit: itaque omnia antequam feriantur, intremiſcunt uibrata uento, quem ignis ante ſe preſſit.* Vt ille tremor a fulmine non ſolum animis periculi metum, ſed corporibus etiam tremoris motum incutiat; quo duplici nomine fulmen tremefacere dicitur, & animos metu, & corpora motu concutiens. De metu quidem animorum a fulmine tum ſupra t Cicero, tum paullo poſt idem u Seneca, *Malo, inquis, fulmina non timere, quam noſſe: Itaque alios doce, quemadmodum fiant; ego mihi metum illorum excuti malo, quam naturam indicari. Quem*

q 2. Diuin.
r 2. nat. qu. c. 12.
ſ 2. nat. qu. c. 20.
t 2. de Diuinat.
u 2. nat. qu. c. 59.

metum à fulmine vt exanimo viri philoſophi depelleret Seneca, mox ait, *Male ſcilicet tecum agitur, ſi cum fulmine conderis: ſed paueſcis ad cæli fragorem, & ad inane nubilum trepidus, & quoties aliquid effulſit, expiras. Quid ergo? Honeſtius iudicas deiectione animi perire, quam fulmine? eo itaque fortior aduerſus cæli minas ſurge, & quum mundus vndique exarſerit, cogita te nihil habere de tanta mole perdendum: Quod ſi tibi parari credis illam cæli confuſionem, illam tempeſtatum diſcordiam; ſi propter te ingeſtæ illiſæque nubes ſtrepunt; ſi in tuũ exitium tanta vis ignium excutitur: at tu ſolatij loco numera, tanti eſſe mortem tuam. Sed non erit huic cogitationi locus: caſus iſte donat metum. Eſt inter cetera quoque hoc commodum eius, quod expectationem tuam antecedit. Nemo unquam fulmen timuit, niſi qui effugit.* Sed quis non effugit pro virili? nemo certe, niſi x furens, & inſanus, vt ait Ariſtoteles. Quin adeo proprium eſt fulminis tremefacere, vt etiam quæ fulminis habent imaginem, ea terreant homines; vnde prouerbium Diogeniani, y *fulgur ex pelui*. Verum & ipſemet Ariſtoteles admonet, quemadmodum in flamma noſtris vſibus deſeruiente, dum ignis crepitat in lignorum aduſtione diſruptioneque, ſonus ille vocatur à multis Vulcani riſus, ab alijs Veſtæ riſus (riſus enim ſonitus quidam eſt hominis) ab alijs horum Deorum comminatio; ita dum flamma ſonat in nubibus horrendo tonitruo, Dei maximi Iouis comminationem omnes fatentur: Quare merito fulmen mortalibus omnibus timorem ac tremorem incutit; Ariſtotelis verba ſunt z *Quæcumque autem intercluditur ſicca exhalatio in tranſmutatione aeris, qui infrigidatur; hæc coeuntibus nubibus excernitur: ui autem lata, & offendens continentes nubes, facit percuſſionem, cuius ſonus uocatur Tonitruum: fit autem percuſſio eodem modo (ut aſſimiletur maiori minor paſſio) ei, qui in flamma fit, ſono; quod uocant hi quidem Vulcanum ridere, hi autem Veſtam, hi uero comminationem horum: fit autem quando exhalatio, quæ in flammam conuertitur, feratur, quum rumpuntur, & ſiccantur ligna; ſic enim & in nubibus, quum fit ſpiritus excretio, in ſpiſſitudinem nubium incidens, facit tonitruum.* Quam ſententiam breuiſſime complexus eſt a Theophraſtus inquiens, *Itidem & ligna, quæ urũtur, partim diſploduntur, & diſſiliunt; partim continentem crepitũ edunt: quod nonnulli Vulcanum ridere, alij minari dicunt.* Nempe minor crepitus fortaſſe dicebatur Vulcani, aut Veſtæ riſus; at maior ſonus exiſtimabatur eſſe minorum horum numinum com-

mina-

x 1. mag. mor. c. 19

y Paroemiogr.

z 2. meteo. ſu. 4. c. 3.

a lib. de Igne in f.

minatio: ſic in aere ſublimi ſonitus fulgetræ dici poterat Iouis riſus; aſt ingens fragor fulminis appellatur minari Iouis. Verum & hac de re pulchre *b* Plutarchus, *Huc accedit*, inquit, *etiam consternatio, quæ fulminibus ingruentibus incesſit, ac metus, & pauor; ob quæ multi nihil aliud paſſi, mortem metuendo ſunt mortui: Et innumeros uidere eſt mortuos tonitru, in quibus nullum ictus aut aduſtionis appareret ueſtigium: quod nimirum præ metu anima eorum è corpore auis inſtar euolaſſet: multos enim exanimauit uentus tonitrui, ut ait Euripides. Nam alias quoque de omnibus ſenſibus auditus facilime afficitur; perturbationesque & metus a ſtrepitu orti, quam maxime animum exagitant: contra quos dormienti ſtupor præſidio eſt: Vigilantes cum præſenſione exanimantur, tum metu corpus reueræ conſtringente & denſante, ictum reſiſtendo faciunt ualidiorem.* Sic ergo fulmina tremefaciunt homines. Sed & e ſacris litteris habemus, *c Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur, & ignem a Domino de cœlo; & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, uniuerſos habitatores Vrbium, & cuncta terræ uirentia.* Nimirum Deus Angeli miniſterio, qui Dominus frequenter appellatur in ſacra pagina, immiſsis fulminibus combuſſit infames vrbes illas; fulmen enim eſt ignis ardens in exhalatione ſulphurea; quod & ſupra vidimus apud *d* Virgilium; cui conſentit *e* Lucretius, & Plutarchus; ille quidem aſſerens,

> *Quod ſupereſt, quali natura prædita conſtent*
> *Fulmina, declarant ictus, & inuſta uapore*
> *Signa, notæque graueis halantes ſulfuris auras.*

hic autem inquiens, *f* ſulphur quoque diuinum inde puto nominatum, ob ſimilitudinem odoris ignei & acris, quem edunt icta fulmine corpora: ob quem puto canes etiam aueſq; abſtinere cadaueribus fulmine percuſsorum. Sed & præter & ante allatos Autores, *g* fulminibus Deum combuſſiſſe Pentapolim, teſtantur Ioſephus, & Philo: Licet apud *h* Strabonem Poſidonius aſſerat illum ignem e terra efflatum; ait enim, *Quod autem regio ignea ſit, permulta alia ſigna afferunt: nam & petras aſperas exuſtas circa Moſada oſtendunt, & multis in locis præerupta, & terram cinerulentam, & picis guttas ex petris diſtillantes, & flumina fætido odore efferuentia, & habitationes paſſim euerſas, ut iis fidem adhibeant, quæ ab indigenis prædicantur, quod in hoc loco XIII. urbes olim habitabantur, quarum metropolis Sodoma adhuc LX. ſtad. ambitum ſeruet: & quod ex terræmotibus, & ignis efflatu, & aquis calidis*

b 4. Symp. qu. 2.
c Geneſ. cap. 19.
d 2. Aeneid.
e lib. 6.
f 4. ſympoſ. qu. 2.
g Soliu. c. 48. Tac. 5. Hiſtor. Magin. deſcr. Paleſt.
h lib. 16.

dis & bituminoſis, & ſulphureis lacus eruperit, & quod petræ igniferæ facta ſint, & urbium aliæ abſorptæ, aliæ ab ijs quicumque fugere potuerunt, derelictæ. Magis tamen credendum eſt Moyſi, Ioſepho, & Philoni; qui Sodomam, & illi vicinas vrbes concrematas aiunt ignis afflatu e cœlo, non ignis efflatu e terra; quia horum teſtimonia ſunt fide digna apud omnes. Ioſephus autem clare nobis fulmen deſcribit, quo telo Deus vſus eſt ad Sodomorum deuſtionem euerſionemque; dicit enim, i *Tum Deus iaculatur telum in urbem, eamque cum ipſis incolis exurit, & agrum quoque pari deuaſtat incendio: quemadmodum mihi iam dictum eſt in commentarijs, quos de bello Iudaico prodidi.* Quo quidem in loco talia leguntur. *K Huic lacui Sodomitica terra uicina eſt; olim quidem tam fructibus, quam diuitijs ciuitatum fortunata, nunc autem omnis exuſta; ut que habitatorum impietate fulminibus conflagraſſe memoratur.* Hanc eamdem ſententiam Philo profeſſus eſt, tum vbi l ait, *Deinde poſt aliquot ætates rurſus multiplicato numero hominum, quia ne maiorum quidem ſupplicijs admonita poſteritas ſapere didicerat, ſed permiſſa libidinis licentia in deterius profecerat, ultricibus flammis hos deleri decretum eſt iuſto Dei iudicio: Tunc, ut in Sacra Scriptura legitur, Fulmina imbrium in morem de cœlo ruentia concremauerunt homines impios una cum eorum urbibus: Extant in hodiernum uſque monumenta cladis illius inenarrabilis, oſtenduntur que ruina in Syria miſtæ cineri, fumo, ſulfuri, lambentibus hæc interdum flammis tenuibus; ſicut fit in reliquijs incendij: interea pœnas luentibus impijs, bonorum uirtuti ſua præmia non deerant: In totius regionis conflagratione ardentis una cum incolis, unicus inquilinus ſeruatus eſt diuina prouidentia, quod abhorreret ab indigenarum iniquitatibus;* nempe Loth, tum vbi ſcribit, m *Tum Deus ſeruator & amator hominum, miſeratione tactus, naturales quidem uirorum ac mulierum propter gignendam ſobolem conuentus, auxit ut cum maxime: immanes autem illos & nefarios coitus exoſus, aboleuit, & rabidos eorum patratores aggreſſus, non uulgari aliquo, ſed nouo mirandoque affecit ſupplicio: Inductis enim ſubito nubibus, iuſſit eas imbrem, non aquæ, ſed ignium pluere: quumque in morem niuis denſiſſima indeſinenter flamma deorſum ferretur magno impetu, ardebant arua cum pratis, & condenſa ſaltuum, paluſtris quoque materies & intima nemorum; urebantur eodem incendio campeſtria, ſegetes cum ſuis frugibus; conflagrabant & arbuſta montium, trunci una cum ſuis radicibus: urbana quoque, & ruſtica ædificia; mœnia, cæteraque opera publica non* minus

i 1. antiq. cap. 11.

K lib. 8. c 5.

l lib. 2. de vita Moyſis in f.

m lib. de Abraham.

minus quam priuati parietes: atque ita vnus dies frequentiſſimas ciuitates vertit in buſta ſuorum ciuium: ſtructuras vero lapideas, & ligneas in cinerem & minutiſſimum puluerem. Ubi vero ſupra terram flammis abſumpta fuerunt omnia, terram ipſam vorabat incendium; ita vt exuſtis penitus vitalibus, nihil ſupereſſet vnde vel fructus, vel herba germinaret, in hodiernum vſque malo durante: nam fulmineus ignis nunquam extinguitur; aut ſerpit, aut vaporat; quod cœlis ipſis creditur; extant enim argumenta cladis veteris, fumus exhalans perpetuo, & ſulphur, quod ibi foditur. Sic igitur fulminibus creberrimis in morem pluuiæ Deus olim vltus eſt Sodomitarum ſcelera; proindeque fulmen eſt telum, quo Deus non ſolum incendit, ſed etiam tremefacit Vniuerſum, quia [n] ſæpiſſime legimus in ſacris litteris repetitam memoriam cæleſtis huius ignis, quo pridem fulminata fuit Sodoma ciuitas ad terrendos impios, & auertendos homines a ſceleribus formidine pœnæ conſimilis. Fulmen etiam eſt, quo Deus tremefacit inferos; nam & hoc fatentur Pythagorei, non reclamante, ſed potius collaudante Ariſtotele in hæc verba, [o] *Quemadmodum ſtrepitat, quum extinguitur ignis, neceſſe eſt ſtridere & ſtrepere, vt Pythagorei dicunt, minarum gratia iis, qui ſunt in tartaro, vt timeant.* Sed etiam pœna, qua Deus aſsidue plectit æterno igne in inferno Cacodæmonem, a [p] Iob ſignificatur ſub metaphora fulminum, quæ Deus mittit in Leuiathan, his dictis non ſemel antea quoque relatis. *Mittet contra eum fulmina; & ad locum alium non ferentur. Cor eius indurabitur quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus. Quum ſublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Sic itaque fulmen a Deo miſſum, ſi benignum fuerit, incendit tantum, nempe victimas oblatas, vel aras; ſi punitorium, incendio mulctat peccatores, ſimul & terrorem incutit vniuerſis; quæ duę ſunt cauſæ præcipuæ, ob quas Deus ille ſummus fulmina mittit in mundum. Vt propterea ſapienter dixerit Aenigmatiſta noſter in Gripho

[n] Eſai. c. 13. Hierē. 50. Ezech. 16. Oſe. 11. Amos. 4. Lucæ. 17. Iud. 1.

[o] 2 poſt. anal. c. 54.

[p] cap. 41.

QVANDOCVMQVE AVTEM IVPITER PYRONARCHAM MITTIT IN MVNDVM, VEL INCENDIT, VEL ETIAM TREMEFACIT VNIVERSVM.

CÆterum his etiam verbis mirifice connotat Autor Aenigmatis tempora, quin & loca, ſeu regiones, in quibus phyſice ful-

ce fulmina gignuntur. Age vtrumque nunc explicemus, ſed primum tempora. Sane tempus aptum generationi fulminum duplex eſt; alterum, in quo quomodocumque fulmina fieri poſſunt; alterum, in quo fulmina facile fiunt, frequenter fiunt, ac vt plurimum fiunt. Si de priori tempore ſermo ſit, Autor illud nobis indicat nota illa, *Quandocunque*, qua indeterminate ſignificatur quælibet anni pars; nam etſi quodam anni tempore rara fulmina fiunt, ac non ita facile; tamen quouis anni tempore fieri poſſunt. Ita Plinius ait, q Hieme, ac æſtate rara fulmina fieri; crebriora vere, & autumno. Sed de temporibus, quibus facile, ac frequentia fulmina fiunt diſſidet a Plinio Seneca, ſtatuens r æſtate plurima fieri fulmina; contra quem Plinio conſentiens Lucretius raro hieme, ac æſtate, ſcribit fulmina magis fieri tempore Veris, & Autumni crebriora his metris, ſ

q lib. 2. ca. 50. r 2. nat. qu. c. 57. ſ lib. 6.

Autumnoque magis ſtellis fulgentibus alta
Concutitur cæli domus vndique, totaque tellus:
Et quum tempora ſe veris florentia pandunt.
Frigore enim deſunt ignes, ventique calore
Deficiunt neque ſunt tam denſo corpore nubes.
Inter vtrumque igitur quum cæli tempora conſtant
Tum variæ cauſſæ concurrunt fulminis omnes.
Nam fretus ipſe anni permiſcet frigus & æſtum;
Quorum vtrumque opus eſt fabricanda ad fulmina nobis. &c.

Scilicet ad fulminum generationem neceſſario concurrere debet ignea exhalatio tamquam materia, & nubes denſiſsima cum multo aqueo vapore frigido, ac vento nubes concutiente, tamquam cauſſa efficiens; quum autem hæ duæ cauſſæ ſimul vigeāt in aere tum in autumnali, tum verno tempore, at hieme non adſit copia exhalationis igneæ, æſtate non conſiſtant denſę nubes, nec multi vapores aquei, nec venti; propterea fulmina raro admodum fiunt æſtate, ac hieme; ſed crebra naſcuntur vere, ac autumno; quam ſententiam coluit Plinius hiſce verbis, t *Hieme, & æſtate rara fulmina, contrarijs de cauſſis, quoniam hieme denſatus aer nubium craſſiore corio ſpiſſatur; omniſque terrarum exhalatio rigens ac gelida, quicquid accipit ignei vaporis, extinguit. Quæ ratio immunem Scythiam, & circa rigentia, a fulminum caſu præſtat; & e diuerſo nimius ardor Aegyptum; ſiquidem calidi ſiccique halitus terræ, raras admodum, tenueſque & infirmas denſantur in nubes; vere autem & autumno crebriora fulmina, corruptis in*

t lib. 2. ca. 50.

vtroque

vtroque tempore æſtatis hiemiſque cauſſis. Qua ratione crebra in Italia, quia mobilior aer mitiore hieme, & æſtate nimboſa, ſemper quodammodo vernat, vel autumnat. Italiæ quoque partibus ijs quæ a Septemtrione diſcedunt ad teporem, qualis eſt Vrbis & Campaniæ tractus, iuxta hieme & æſtate fulgurat, quod non in alio ſitu. Nos hanc litem facile dirimere poſſumus, dicentes in autumno, ac vere crebriora eſſe fulmina quam æſtate, ac æſtate crebriora quã hieme; quia facilius eſt æſtate cogi nubes denſiores; (nam tunc pauiæ fiunt aliquando magnæ) quam hieme ſurſum ferri tantum halitus ignei, qui ſatis ſit ad materiam fulminum; ſæpius enim prius ab aqueo vapore ſuffocatur ac extinguitur, quam ad medium aeris regionem, in qua fulmina generantur, efferatur: Plinius & Lucretius rationem habuerunt eorum temporum, in quibus frequentiſsime fulmina fiunt; quæ ſunt ver & autumnus: at Seneca ſolam hiemem excluſit, in qua rariſsima fulmina fiũt; æſtatem voluit veri, & autumno coniungere, quia media poſſunt impune ad extremum vtrumlibet reduci. Noſter Aenigmatiſta Senecæ partes tuetur; inſinuatque fulmina potiſsimum gigni tum æſtiuo, tum verno, tum autumnali tempore, ſcribens, *Quando autem Iupiter Pyronarcham mittit in Mundum, vel incendit, vel etiam tremefacit vniuerſum:* incenſio ſiquidem denotat nobis tempus æſtiuum; quando nos ambiens aer & inceditur, & incendit; incenditur a Sole, tum diu ſupra terram vigente; tum eam directis radijs feriente; qui in reflexione mire multiplicati noſtratem aerem atterunt, attritione ſpoliant humore, ac inducta ſiccitate pluſquam nimium acuunt eius calorem prope ad igneam naturam; vt late probauimus in opere de a Vita. Tremefactio vero, vt ita loquar, indicat vernum, & autumnale tempus; quia tunc in aere maxime vigent venti, qui tremiſcere faciunt non ſolum frondes arborum, ſed etiam animalium corpora. Quid ſi x Plinio conſentiens Aenigmatiſta reſpexerit ad conditionem Vrbis Romæ, in qua omni tempore fulminat? Quid ſi tempus abſolute, quo fulminare poteſt, adeoque quatuor anni tempora fulminum ortui nunc aſsignuerit? nam etiam hiems tum ventis, tum maxime frigore viuentibus tremorem incutit; vt ideo dixerit Iouem mittere Pyronarcham in Mundum, & quando incendit, nimirum æſtate, & quando tremefacit Vniuerſum, ſiue ventorum vi, vt verno & autumnali tempore, ſiue etiam frigore, vt hiemali. Sed tamen loquendi modus, quo

a lib. 5. cap. 14.

x lib. 2. ca. 50.

noſter Autor vtitur, dicens, *Vel incendit, vel etiam tremefacit vniuerſum*, ſatis excludere videtur hiemem, quo tempore tremefacit quidem Iupiter, at non etiam incendit: quare tria tantum cum Seneca nobis anni tempora deſignat Aenigmatiſta crebriori fulminum generationi deſtinata; æſtiuum, in quo maximus ardor gignitur in vniuerſo; & vernum, ac autumnale; in quorum temporum vtroque vna cum ventis tremefacientibus, viget etiam calor in aere; quo verno quidem fecundantur y plantæ ac animalia, & in venerem aguntur: autumnali vero calore maturantur fructus: maximeque fulmina fiunt cum in fine veris, tum in autumni principio; quæ partes maxime ſapiunt naturam æſtatis proximæ: quam in incendio poſitam & omnes experimur; & belle concinit z Aratus, non ſolum ex Germanico Cæſare, cui

y 2. de gen. c. 55. & ſeqq.

z in Phœnom.

. . . . *Canis*

Quum tetigit Solis radios accenditur æſtas.

Sed etiam ex Tulliana translatione diſtinctius, ac luculentius ita

Namque pedes ſubter rutilo cum lumine claret
Feruidus ille Canis, ſtellarum luce refulgens,
Vere toto ſpirans rabido de corpore flammam
Aeſtiferos radijs erumpit flatibus ignes
Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.
Hic vbi ſe pariter cum Sole lumina Cœli
Extulit, aut patitur filorum tegmine fruſtra
Suſpenſos animos arbuſta ornata tenere.

Hic æſtatis ardor tantus eſt, vt communicet incendium etiam proximis ſibi temporibus veris, & autumni; quæ inſuper a magnis ventis, æſtate ſilentibus, maxime perflantur: quare ſignificaturus Aenigmatiſta fulmina potiſsime fieri tum æſtate, quando viget incendium in aere prope terras abſque ventorum commotione; tum etiam autumno, & vere, quando vel incipiente, vel nondum extincto calore, vigent in aere venti validiores, belliſsime dicit

QVAN-

QVANDO AVTEM, IVPITER PIRONARCHAM MITTIT IN MVNDVM, VEL INCENDIT, VEL ETIAM TREMEFACIT VNIVERSVM.

QVibus nos etiam miro artificio nobis deſignat Mundi plagas, in quibus fulmina fiunt. Quùm enim quemadmodum cælum ambiens, ita terræ globus in quinque ſupremas regiones diuidatur, quas Zonas appellant; quarum duæ temperatæ dicuntur habitabiles, quod in ijs frequentes habeant & commodas habitationes animalia tum ratione pollentia, tum rationis expertia; tres verò temperiem non habentes, quod extremæ duæ procul à Sole nimia frigiditate perpetuo rigeant, & omnium media ſemper ſub Solis itinere torrida nimio æſtu dicatur, nuncupantur inhabitabiles, quod raras, difficiles, & incommodas habeant habitationes; non quod nullas omnino poſſint habitationes habere; quo ſane modo dicitur incorruptibile *a* Ariſtoteli, quod non facile corrumpitur, etiamſi ſimpliciter corrumpi valeat; & *b* impoſſibile, quod non facile, neque cito, aut bene fieri poteſt; de quibus Zonis pulchre Virgilius, & Ouidius: Maro quidem *c* ita,

a 1. cæl. t. 114.
b 2. cæl. t. 111.
c 1. Georg.

Quinque tenent cælum Zonæ: quarum vna coruſco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igni:
Quam circum extremæ dextra læuaque trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris
Has inter, mediamque, duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ Diuum . . . . . .

Naſo *d* vero ſic,

d 1. Metamorph.

Vtque duæ dextra cælum, totidemque ſiniſtræ
Parte ſecant Zonæ, quinta eſt ardentior illis.
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur:
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu:
Nix tegit alta duas: totidem inter vtramque locauit,
Temperiemque dedit miſta cum frigore flamma.

Vt apud neminem autorem legere potui ſub Zona boreali concluſa intra circulum arcticum audita tonitrua, factaue fulmina; ſiquidem Hollandis Palinuris illis totum annum integrum inclu-

ſis glacie commorantibus ad Nouam Zemblam, Ephemerides aeris omnia momenta narrantes diligentiſſime deſcriptæ, nullã
e lib. 2. ca. 50. vnquam fulminum mentionem habuere; quum & e Plinium audiuerimus aſſeuerantem, Scythiam & circa polum rigentia loca naturam habere immunem a fulminum caſu: ita iure poſſumus vtramque Zonam frigidam, arcticam, & antarcticam ortui fulminum ineptam ea ratione aſſeuerare; quod ex ijs terris pauca exhalatio ignea ſurſum tollatur cum multo vapore aqueo; a quo contrario prius extinguitur, quam ad ſublimem aeris medij regionem perueniat, vbi fieri poſſet materia gignendi fulminis.
De regione torrida intra tropicos controuerſia non leuis eſt,
f loc. cit. quam Plinius f videtur fulminum generation: priuare, dicens ob nimium ardorem non permittentem nubes craſſas & denſas fieri, fulminum procreationi neceſſarias, Aegyptum eſſe immunem a caſu fulminum. Dalechampius Plinio comitem dare ſatagit Plutarchum, quaſi & hic g Aethiopiam teſtetur immunem
g de ſuperſtit. eſſe pariter a fulminibus. Ceterum Franciſcus h Aluarez in Ae-
h itin. æth. c. 50. thiopia tonitruum magnum audiuit; & Plutarchus potius aſſerit in Aethiopia fulmina fieri; ſcribit enim, *Non fulmen in Aethiopia formidari, non terremotum in Gallia*; non quia ibi talia non fiant; ſed quia gentes illæ talia non metuunt; quod de Cel-
i 3. ethic. cap. 7. tis i Ariſtoteles dicebat & de K furentibus ac inſanis. Quum igitur Aethiopia ſit in Zona torrida; iam ab ea zona nemo iure
K 1. mag. mor. c. 19. queat fulminum generationem omnino tollere. Sed vt eius Zonæ varias habemus regiones, alias quidem ſiccas, alias aquarum vbertate pollentes; ideo non tota fulminat; ſed quæ aquis affluens multos vapores ſurſum halare poteſt in denſiorum nubium conſiſtentium. Quare licet Aegyptus, & arenoſa Libyæ deſerta, ob aquarum penuriam ſuo aeri cauſſam fulminum procreatricem non tribuant; Aethiopia tamen, & alia regio multiplex intra tropicos aquis abundans fulminum cauſſas promouentes habet; vnde torrida regio fulminibus abſolute priuari non debet. De Zonis vero temperatis extra Tropicos nulla dubitatio eſt, conſentientibus omnibus; & experimento quotidiano id comprobante, regiones temperatas frequenter fulminibus quati. Noſter Aenigmatiſta non obſcure loca fulminum generationi dicata nobis inſinuat, dum ait, Iouem Pironarcam in Mundum mittere, quando vel incendit; ecce Zonam incendio torridam; vel etiam cum incendio tremefacit; ecce Zonas tem-

peratas, in quibus, vt ait Ouidius, habetur miſta cum frigore flamma. Denique vero his eiſdem verbis

QVANDOCVMQVE AVTEM IVPITER PYRONARCHAM MITTIT IN MVNDVM,
VEL INCENDIT, VEL ETIAM TREMEFACIT VNIVERSVM.

A Enigmatiſta nobis inſinuat admirabiles effectus fulminum omnes ad duo ſuprema genera redigi poſſe; ſiue ad duas ſupremas cauſas; quæ ſunt incendium, ſeu combuſtio; & tremefactio, vt ita dicam, ſeu motus. Porro mirabiles fulminum effectus receņſuit Ariſtoteles, Plutarchus, Seneca; Plinius, & alij. Ariſtoteles quidem inquiens, *l Si autem in ipſa nube multus & te-* l 3. meteor.
nuis extrudatur ſpiritus, hic fit fulmen; ſi quidem valde tenue fuerit, ſu. 1. ca. 1.
non adurit propter tenuitatem, quod Poetæ clarum vocant: Si autem minus, adurẽs, quod fumidum vocant: Illud.n. propter tenuitatem fertur, propter velocitatem autẽ præuenit pertranſire, antequam igniat, & moram faciens denigret: hoc autem tardius colorauit quidem, non autem exuſſit, ſed præuenit pertranſiens. Quapropter & reſiſtentia quidẽ patiuntur aliquid, quæ autem non, nihil: ut clypei iam æramentum quidem liquefactum fuit: lignum autem nihil paſſum fuit; propter enim raritatem præuenit ſpiritus penetrare, & pertranſire: Et per veſtimenta ſimiliter, non combuſſit, ſed uelut attritionem fecit. Quare quod hæc omnia ſpiritus ſint, palam eſt, & ex talibus. Nimirum fulmen, quum ſit halitus igneus tenuis, velociter actus, ſi impingat in corpora poroſa, & cedentia, ea non incendit adurens, at illa penetrans non moram in ijs trahens aduſtioni neceſſariam; ſed tantum velut atterit, ac tremefacit: ſi vero in corpora denſa & reſiſtentia, impedito eius tranſcurſu moram trahens illa incendit aut liquans, aut adurens. Plutarchus autem dicens, *m Habent enim multa etiam alia fulmen & tonitru, eorumque præmon-* m 4. ſym-
ſtrationes miracula, quorum aut omnino nequeunt cognoſci, aut diffi- poſ. qu. 2.
culter intelliguntur cauſæ: etenim quod uideri ſolet, prouerbioque materiam dedit bulbus iſte (de tubere loquitur) *non paruitate ſua fulmen effugit, ſed quod uim habere ei aduerſantem:* videri ſane ſolet prouerbium de bulbo, quod ex Ariſtophane *n* tum Streпſiades ingrediens Socratis Scholam, admiratus diſcipulos prono capi- n in Nebu
te terram ſpectantes, reſpondenti cuipiam. lis.

Qua-

Quærunt, quæ habet terra Stesipsades? Bulbos scilicet
Quærunt, rei sed curæ nec quid istius
Vos angat, ego enim noui ubi ſint magni & boni.

o in Concionatricib. — tum o anicula iuuenis detrectanti coitum, quod vnus duabus par eſse non poſset, obijcit, *Qui deuorauit bulborum ollam*: nam bulbos irritare Venerem, teſtatur & p Martialis inquiens,

p lib. 13. ep. 34. — *Cum ſit anus coniux, & ſint tibi mortua membra:*
Nil aliud bulbis, quam ſatur eſſe potes.

teſtatur Parœmiographus & q Dioſcorides, cui ſunt multæ bulbi ſpecies; ſed omnes habent acrimoniam, & calore Venerem ſtimulant; quemadmodum eruca de qua r Columella;

q lib. 2. ca. 163. r lib. 10. de cul. hort. — *Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.*

Sed tamen eo loci non agit Dioſcorides de tuberibus bulborum nomine, verum de plantarum radicibus bulboſis; nam de tuberum natura Dioſcorides [illegible] hoc ſolum dixit, ſ *Tubera rotunda radices ſunt, ſine caule, ſine foliis, flaveſcentes, vere fodiuntur: cruda & cocta eduntur*. [illegible] poſsumus acrimoniam, cum potius inſipida ſint; neque caliditatem Veneris excitatricem, cum potius frigida ſint; veneremque non calore, ſed flatibus excitant; de eorum natura Galenus ita, t *Tubera quoque ex radicibus, aut bulbis ſunt annumeranda, ut quæ nullam qualitatem [illegible] qui ipſis vtuntur, vtuntur ad condimenta excipienda [illegible] & alijs quæ vocant inſipida, & innoxia & ad guſtum aquoſa. Quibus omnibus eſt commune, ut alimentum quod ab ipſis in corpus diſtribuitur, nullam inſignem habeat [illegible] ſubfrigidum quidem ſit*. Auicennæ quoque u *Tubera ſunt in ſubſtantia terreæ plus, & aqueæ minus; & in ipſis eſt [illegible] & ſubtilitas parua; & ſunt priuata ſapore.*

ſ lib. 2. ca. 139. t 2. de al. fcu. ca. 68. u 2. can. tr. 2. ca. 696.

Non autem putamus ea fulmine non lædi tum ob figuræ rotunditatem, & corpulentiæ paruitatem; tum potiſſime quoniam adeo denſam ſubſtantiam non habent, vt fulmini reſiſtant; ſed ab illius halitu tenuiſſimo impune penetrantur, vt alia omnia poroſa; quæ ſtatim adijcit Plutarchus inquiens; x *ſicut ficus etiam, & vituli marini pellis, vt fertur, atque hyænæ, quibus extrema velorum induunt nauicularij*. Sunt enim hæc omnia poroſa, & non reſiſtentia fulmini, quod præuenit ea pertranſire priuſquam ipſorum ſubſtantiam incendat, & adurat; ſolum ea penetrat innoxia, ac velut tremefacit. Addit, *Aquas etiam, quæ inter fulgura decidunt, agricolæ putant eſſe & nominant in-*

x 4. ſympoſ. qu. 2.

cre-

quæ inter fulgura decidunt, agricolæ & putant eſſe & nominant incrementis idoneas; vt pote calore fulminis igneo coctas, & omni cruditatis noxa priuatas; quo nomine dudum *y* Hippocrates laudat pluuias cum tonitru inter omnes aquas: quod & mox Plutarchus ait, *Nihil enim in præſentia uidetur probabilius, quam inter tonandum multum aquæ genitabilis decidere; cauſa eſt admiſtio caloris, nam ignis, quod eſt acutum & purum, id in fulgur abit; pars uero grauior & ſpiritu prædita inuoluta in nube, eam mutat, ac frigore expulſo humorem tepefacit; unde aqua admodum lenis incidit in ſtirpes.* Itaque fulmen aquas pluuias optimas efficit plantis & animalibus, quia eas concoquit, & quoquopacto frigiditatem expellens, incendit. Sed & hac ratione fulmina fauent ortui & incremento tuberum; de quibus Iuuenalis. *y 6. Epid. ſect. 4 t. 19.*

. . . *z Poſt hunc raduntur tubera, ſi ver*
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas
Maiores . . . . . *z Saty. 5*

Et Athenæus, *adiciunt quum aquæ autumnales, & magna tonitrua fiunt, quod magna tubera naſcantur; atque quum maxime maxima; illa ſiquidem præcipua generationis cauſſa eſſe videntur*: quam nos late diſcuſſimus in opere de Spontaneo *b* Viuentium Ortu; ſed breuiter hic Plutarchus apte ſubnectens, *Multo autem magis probabile eſt fulguralibus & fulminalibus aquis, ſpiritibus & caloribus alte penetrantibus terram, conuerti, itaque laxari & hiare; quomodo calores quidam & humores ſanguinei in corpore tubercula glandoſa & ſtrumas efficiunt.* Quare fulmina conſulunt ortui & incremento tuberum tum tremefaciendo, ſcilicet aperiendo terram; tum incendendo, nempe calefaciendo, & concoquendo tuberum alimentarem ſuccum. Addit mox Plutarchus, *Ipſe memini apud nos fulmen incidiſſe in domum, & multa mirabilia feciſſe; nam & vinum e dolijs illæſis conſumpſit.* Euiſdem meminit & Plinius inquiens, *c Tertium fulmen eſt quod clarum vocant, mirificæ maxime naturæ, quo dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio veſtigio relicto.* Nempe vt *d* Ariſtoteles de conſimili ſulmine dixit, exhalationem tenuiſſimi ſpiritus ignitam penetrare poroſa corpora, nec in ijs tamdiu morari vt ea incendere valeat, ſed poris carentem vini ſubſtantiam, ſua denſitate reſiſtentem, ac fulminis præpetes curſus retardantem ab igne conſumi; quare fulmen idem incendit vinum ſubito decurens; & penetrans vtcumque tremefacit dolium. Eamdem *a lib. 2. cap. 22* *b lib. 3 cap. 4. & ſeqq.* *c lib. 2. cap. 51.* *d 3 meteo. ſu. 1. c. 1.*

cauſsam habet, ſuperius apud Ariſtotelem allatam, quod adijcit Plinius, e *Aurum, & æs, & argentum liquatur, ſacculis ipſis nullo modo ambuſtis, ac ne confuſo quidem ſigno ceræ*; quia violento fulmini fruſtra reſiſtere tentant duritie ac denſitate ſua confiſa metalla; per ſuos poros iter expeditum exhibent ſacculi, & cera mollis; fulmen autem, ſeu Pyronarcha, hoc eſt flamma princeps; ac ipſe Iupiter mittēs Pironarçā, nouit decere ſe,

e lib. 2. ca. 51.

f Virg. 6. Aen.

f *Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.*

Addit Plutarchus de fulmine, g *& hominem dormientem transuolauit, neque ipſum lædens, neque veſtem tangens; & cingul æs, quo obductum erat, colliquauit:* fulminis materia, & via finita quum ſit, potuit iuxta dormientem hominem percurrere illo intacto; ac ſolum æs, quo cingulum eius extrinſecus obducebatur, attingere, atque incendendo, vt diximus, colliquare: nam ſæpe vidimus fulmine parietem ictum tenuiſſima rima fatiſcere, vicinis rimæ partibus intactis. Eamdemque prorſus rationem dabis ei, quod ſubdit Plutarchus, *Audio etiam fulmen prope militem, qui templum Romæ cuſtodiebat, decidiſſe, calceorumque aduſtis loris, nullum aliud maleficium intuliſſe:* Niſi lora fuerint ex corio denſiſſimo fulmini moras nectente; dixero fulmen hoc fuiſſe fumidum, vt ait h Ariſtoteles, adeoque craſſiori materia nixum, atque lora porosa quantumlibet, adurens: ſed placet ratio prior de loris denſioribus, ob ea, quæ ſtatim addit de eodem fulmine Plutarchus, *Et quum argentei caliculi in ligneis repoſiti eſſent operculis, ligno incolumi argentum colliquatum fuiſſe inuenimus.* nempe Iupiter tenui Pironarca incēdens colliquauit durum ac denſum argenti metallum; at tremefecit tantum penetrans poroſum lignum operculorum incolumi ſubſtantia. Sed quod addit Plutarchus, *Id omnium maxime mirum eſt, quod omnes fere compertum habemus, corpora de cælo tactorum putredinis expertia perdurare: multi enim ea neque cremant, neque defodiunt; ſed ſæpimento circumdata relinquunt: vt videantur perpetuo putredinis vacua; & Euripideam Clymenen refellant, quæ de Phaetonte dicit,*

g 4. ſymp. qu. 2.

h 3. meteo. cap. 1.

. . . . carus ille nunc mihi

Aliqua in conualle computreſcit mortuus.

aduerſantem habet non ſolum hanc Euripidis opinionem, ſed etiam Senecæ ſententiam, qui dicit i fulmine icta viuentium corpora intra paucos dies verminare. Ceterum a Plutarcho ſtamus, vt plurimum fulminatorum hominum cadauera non

i 2. nat. qu. cap. 31.

com-

computreſcere; quia fulminis ignea ſubſtantia incendio conſumpſit omnem humiditatem; ac eo magis quo fulminis materia plerumque ſulfurea eſt exhalatio; vt ſupra vidimus apud Virgilium, *K* atque *l* Lucretium; ſulfure vero condita cadauera diu ſeruari ſine putredine certum eſt; quod putredini ſunt obnoxia ſolum humiditatem habentia; quæ proinde vulgo dicitur eſse mater putredinis. At Euripides mulierem facit ea dicentem, quæ vulgus feminarum cenſet, omnia cadauera inſepulta ſub dio computreſcere; ſeruare namque decorum voluit, ac veriſimile, famoſumque placitum vulgi; quum ſolis doctis illud compertum ſit. Vel potius dicas non omnia, ſed plurima fulmina eſse ſulfurea; quare quæ ſulfurea non ſunt, cadauera non ſeruant imputria. Seneca de venenatis animalibus loquitur; at Plutarchus de hominibus, quorum alia ratio eſse poteſt in propoſito; vt enim *m* Galeni teſtimonio cicuta & eleborus homini mortifera venena ſunt; quæ & capris alimentum præbent innoxium, quod & Lucretius conteſtatur, inquiens, *n*

K 2. Aeneid.
l lib. 6.
m 2. de ſim. fac. c. 2. de ſimp. fac. cap. 6.
n lib. 5.

Quippe uidere licet pingueſcere ſæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre uenenum.

ita eodem fulmine poſsunt venenatorum cadauera uerminare, at hominum imputria perdurare: ſed hac de re mox apud Senecam. Redeamus ad Plutarchum recte ſubnectentem, *Sulfur quoque diuinum inde puto nominatum ob ſimilitudinem odoris ignei, & acris, quem edunt icta fulmine corpora; ob quem puto canes etiam aueſque abſtinere cadaueribus fulmine percuſſorum.* Quæ ſiquidem igne ſulfureo fulminis incenſa perierunt animantia, tetrum adeo ſulfuris odorem retinent in cadaueribus, vt procul abigant ab ſe canes, & aues cadaueribus deuorandis aſsuetas. Denique uero Plutarchus introducit conuiuas doctos, qui *in id conſenſere vt reliqua omitterentur; de cauſſa tamen, ob quam dormientes fulmine non ferirentur, audire ſe aliquid percupere oſtenderunt.* Quam quæſtionem quadruplici reſponſione ſoluere ſatagit; prima, quia dubitat de veritate quæſiti, ambigens an verum ſit problema propoſitum: ſecunda, quia inquit dormientum corpora concentratione caloris ac ſpirituum habere poros vacuos per quos impune fulmen vt per dolij meatus pertranſire poteſt; at vigilantium corpora poros omnes humoribus plenos habentia fulminis liberum iter non exhibere: tertia, quia vigilantes conſternatione ac metu moriuntur potius quam fulmine: quarta, quia

vigilantibus timor corpus addenſat,& conſtringit meatus omnes;quare fulmen in eos agit vt in denſiora metalla. Verba Plutarchi ſunt, *Ego tametſi nihil proficerem cauſa attingenda, cuius communis eſt ratio, tamen ita fere dixi: Fulminis ignis mirabili eſt ſubtilitate atque tenuitate, quam ſtatim a prima origine habet ex pura & ſincera ſubſtantia; & quicquid ei humidum aut terreſtre admiſcetur, id ſui motus celeritate excutit atque expurgat: Proinde corpora denſa, vt æs, vt argentum, & horum ſimilia, fulmen excipiunt, corrumpunturque & liqueſcunt eo quod repugnant atque reſiſtunt: Atqui per rara; multis biantiaque meatibus ob laxitatem eorum ſine tactu diſcurrit fulmen, vt per veſtes, & arida ligna: idem viridia vrit, arreptum ab humore, eoque incenſo. Ergo ſi uerum, dormientes fulmine haud necari*. Non ab re dubitat Plutarchus de veritate problematis; quia ſi viridia ligna fulmen adurit, quod in eorum poris humor adſit, ad ſe fulmen arripiens, quo incendatur; certe multo pluri referta ſunt humore dormientium hominum corpora, quam viridia ligna. Deinde qui fieri poſſit vt fulmen per dormientis corporis meatus permeet, non offendens intra duriſſimas & denſiſſimas oſſium, cartilaginum, & ligamentorum ſubſtantias? quin & non offendens humorum conſiſtentias? quibus abſumptis, quomodo dormiens viuet? par eſt enim vt fulmen per dolij poros permeans infracto vaſe vinum abſumit omne contentum; ita per dormientis poros cutaneos penetrans infracta cute debere contentos humores omnes incendio conſumere, denſaſque partes amburere: quibus abſumptis & ambuſtis dormientem fulmine interimi neceſſe eſt. Pergit autem aliam propoſiti cauſam afferre Plutarchus ita, *Ergo ſi verum, dormientes fulmine haud necari, hic quærenda eſt cauſſa, non alibi: magis enim firma ſunt, & ſolida, atque reſiſtentia corpora vigilantium, vtpote omnibus partibus ſpiritu oppletis: quo etiam ſenſus intendente tamquam inſtrumento & conſtringente, validum fit & ſecum continens denſumque animal. Idem corpus in ſomnis laxatur rarum fit & inæquale, imbecillum, ac diffuſum, multiſque reſeratur meatibus, ſpiritu remittente ac deſerente: vnde etiam voces odoresque excurrunt nullo ſui ſenſu præbito: quod enim renititur, renitendoque patitur, non occurrit ijs quæ offeruntur: minime autem ijs, quæ ob tenuitatem & celeritatem talem, qualis eſt fulminis, diſſipantur: nam quæ minus ſunt valida, ea munit natura duricie aliqua aut denſitate; vt non facile patiantur: quorum vero inexpugnabilis vis eſt, ab his*

minus

minus læduntur quæ cadunt, quam quæ reſiſtunt. Quæ quidem ratio mentem non firmat; tum quia non ponit eam differentiam inter corpus dormientis, & vigilantis, quæ eſt inter poroſa ligna & ſine poris metalla; ſeu inter ligna arida, & viridia; nam arida ſine ſucco ſunt meatibus vndiquaque hiantibus, viridia ſunt omniquaque ſucci plena; quum idem corpus ſeu vigilans, ſeu dormiens vbique refertum ſit venis & arterijs ſanguine repletis. tum quia quum in ſomno calor influens maxime concentretur ab ambitu corporis ad intima viſcera; contra in vigilia calor a centro corporis diffundatur in vniuerſum corporis ambitum; vt cum Galeno *o* Medici omnes conſentiunt; quumque caloris proprium ſit aperire poros, & dilatare meatus: næ dormientes poris occluſis, vigilantes contra recluſis meatibus dicendi ſunt; adeoque corpora dormientum magis reſiſtentia fulmine corrumpi, vigilantium magis cedentia, minus a fulmine lædi. Sed addit Plutarchus, *Huc accedit etiam conſternatio, quæ fulminibus ingruentibus inceſſit, ac metus & pauor; ob quæ multi nil aliud paſſi, mortem metuendo ſunt mortui. Itaque tonitru oborto paſtores condeceſaciunt pecus, vt in vnum concurrant, ſeque inuicem applicent; nam quæ palant a reliquis auulſa oues, abortum faciunt. Et innumeros videre eſt mortuos tonitru, in quibus nullum ictus aut aduſtionis appareret veſtigium; quod nimirum præ metu anima eorum e corpore auis inſtar euolaßet: multos enim exanimauit ventus tonitrui, vt ait Euripides.* Quæ ratio pariter non probat dormientes immunes a fulmine; tum quia deberent vigilantes nulli fulmine percuti, ſed metu mori; quod experimentis non reſpondet, quia conſternatio & pauor interimens non reddit cadauera imputria, nec deuſta, nec ſulfure infecta; cuiuſmodi ſunt eorum, qui fulmine obeunt: tum quia in quibus nullum ictus aut aduſtionis veſtigium apparet, ij tacti ſunt fulmine claro, vt ait *p* Ariſtoteles, cuius flamma nixa tenuiſſimo ſpiritu per poros cutis latenter ingreſſa totum ſanguinem abſumſit; vt alias totum vinum conſumere potuit nullum relinquens in dolio veſtigium apparentis ictus aut aduſtionis: tum quia ſuperius apud *q* Senecam, *r* Plinium, & *ſ* Rhodiginum vidimus neminem interire fulmine qui tonitruum audiuerit; neminemque vnquam fulmen timuiſſe, niſi qui effugit. Quod vltimo ponit Plutarchus, *Nam alias quoque de omnibus ſenſibus auditus facillime afficitur, perturbationesque & metus a ſtrepitu orti,*

o 6. epid. ſect. 4. cõ. 17.

p 3 meteo. ru. 1. ca. 2.

q 2. nat. q. c. 59.

r lib. 2. ca. 54.

ſ lib. 3. ca. 29.

quam

quam maxime animum exagitant;contra quos dormienti ſtupor præſidio eſt: Vigilantes cum præſenſione exanimantur; tum metu corpus, reuera conſtringente & denſante, ictum reſiſtendo facit validiorem.
Nihilo firmius eſt ſuperioribus: tum quia Pironarca dicitur fulmen, quaſi flaua-ſtupens, quia ſtupidos reddit quos illico percuſſurum eſt; quare dormientium, ac vigilantium æqua conditio ſtuporis eſt: tum quia dormientes a ſomno ſuſcitat magna vox eos inclamantis, quomodo non excitentur a maximo fragore tonitrui cum fulmine iuxta eos concitato? tum quia metus nulla ratione alia poteſt corpus timentis conſtringere atque denſare, niſi quoniam pauore ſanguis ac ſpiritus omnis influens ab extremis, & externis partibus retrahitur ad viſcera, & concentratur in cor: quum itaque ſomnus idipſum efficiat; proculdubio metuentium & conſternatorũ corpora denſata & conſtricta non magis reſiſtendo facient ictum fulminis validiorem, quã dormientium, & alto ſomno ſopitorum corpora non minus denſata & conſtricta conſimili retractione caloris influentis cum ſanguine ac ſpiritu a toto corporis ambitu ad intima viſcera. Nos itaque cenſemus æque fulminum ictui ſubiectos eſſe dormientes, ac vigilantes homines ob rationem paullo antea propoſitam: cui geminam aliam nunc ab experimento deductam adiungere lubet; vna quidem eſt, quia ſupra vidimus olim a Deo ſummo fulminibus enectos fuiſſe omnes ſimul homines quinque ciuitatum ſub metropoli Sodoma populoſiſſimarum, quatuor exceptis de domo iuſti Loth; an inter tot millia nemo tunc dormiebat? an dormientibus fulmina pepercerunt? nihil minus.
t lib. 2. ca. 51. Alia eſt, quia relatu Plinij, *t Marcia princeps Romanarum icta grauida, partu exanimato, ipſa citra vllum aliud incommodum vixit.* nempe fulmen illud minoris violentiæ fuit, ac minoris ignis, cuius vim eludere potuit robuſtum corpus matris, etſi vigilantis; tolerare nequiuit imbecillum corpus infantis in vtero forſan dormientis; nam vt ait *u* Ariſtoteles, in aluo materna fœtus & infans ab ortu plurimum dormit, ac totũ fere tempus grauiditatis dormiendo tranſigit: Quod fulmen contrarium effectum habuit, ac illud quo Poetæ fabulantur exuſtam a Ioue Semelen incolumi Baccho puello, nondum maturo ad partum, etſi debile fulmen & illud effingant, vt eſt apud *x* Ouidium,

u 7. hiſt. cap. 10.

x 3. met.

Eſt aliud leuius fulmen, cui dextra Cyclopum
Sæuitiæ, flammæque minus, minus addidit iræ:

Tela

Tela ſecunda vocant Superi: capit illa: domumque
Intrat Agenoream: corpus mortale tumultus
Non tulit æthereos: donis iugalibus arſit;
Imperfectus adhuc infans genitricis ab aluo
Eripitur. &c.

Quo fulmine Iupiter incendio combuſſit matrem, infantem ſolum concutiens tremefecit, vi fulminis extincta in materno corpore: contra Marciæ contigit, cuius corpus fulmine ictum concuſſum eſt, at infans in aluo tenerior incendio necatus. Niſi verius dicamus Marciam non fuiſſe fulminis igne percuſſam, ſed tonitrui fragore perculſam, eoque metu adeo tremefactam, vt abortiuerit, quo nomine ſupra vidimus apud y Plutarchum *tonitru oborto paſtores condocefaciunt pecus, vt in vnum concurrant, ſeque inuicem applicent; nam quæ palant a reliquis auulſæ oues, abortum faciunt*, imbecillo tenelloque fætu nequeunte concuſſionem illam impune ſuſtinere, quam robuſtior mater, ac duriori corpore facile tolerare valet. At vero, quod addit z Plinius, *In Catilinanis prodigijs Pompeiano ex municipio M. Herennius Decurio ſereno die fulmine ictus eſt.* Id ita recipiendum eſt; quia fulmen illud, quo Decurio combuſtus eſt, ceciderit non die pluuio, & vndique tetris nubibus obſito, vt fere ſemper fulmina cadunt; ſed ex vnica nube breuem cæli partem obtegente, interim toto alio aere ſereno, quod rariſſime contingit; adeoque bene Plinius id inter prodigia connumerauit. Seneca pariter infit, a *Ceterum mira fulminis, ſi intueri velis, opera ſunt, nec quidquam dubij relinquentia, quin diuina inſit illis & ſubtilis potentia: Loculis integris & illæſis conflatur argentum: manente vagina gladius liqueſcit: & inuiolato ligno, circa pila ferrum omne diſtillat*, hæc nuper ex Ariſtotele b didicimus fieri a fulmine claro, quod ob materiæ ſummam tenuitatem cedentia, & poroſa corpora præterfluit, at obſiſtentia incendio liquat, coactum circa illa morari, quæ ſibi liberum curſum impediunt. Sed multo mirabilius eſt, quod addit, *Stat dolio fracto vinum, nec vltra triduum rigor ille durat.* id ego reor effici a fulmine fumoſo, craſſiori materia nixo; ſiquidem Ariſtoteli c fulmen craſſiori exhalatione conſiſtens, fumidum vocatur, & adurens eſt; quare diu moram trahens ob ſui craſſitiem circa lignum dolij; dolium adurens facile frangit: at eo fracto vinum veluti cogit in conſiſtentiam minime fluentem; nam a fumo tale quid perpeti vinum

y 4 ſympol. qu. 2.

z lib. 2. ca. 51.

a lib. 2. nat. qu. ca. 31.

b 3 meteo. cap. 1.

c loc. cit.

d de vtil. reſp. in f. num docuit Galenus aſſerens, [d] *Amplius autem vinum, & liquores alij varios ſapores habent ex terra ſibi admiſta: vnde in quadam regione vinum ſuſpenſum ad ignem in vtribus, induреſcit in modum ſalis, euaporante aqua*. Quod multo prius Ariſtoteles aſſeruerat

e 4. meteo. ſu. 4. cap. 1. his notis, [e] *Dubitabit autem vtique aliquis de vino, humidorum, hoc enim euaporabit vtique, & incraſſatur, ſicut nouum: cauſſa autem eſt, quia nec vna ſpecies dicitur vinum, & quia aliud aliter; nouum enim magis terra eſt, quam antiquum; quapropter & incraßatur maxime calido, & concreſcit minus a frigido; habet enim & calidum multum, & terræ; vt quod in Arcadia ſic exſiccatur a fumo in vtribus, ut deraſum bibatur*. Quæ duo loca notauit etiam Rhodiginus inquiens,

f lib. 28. cap. 36. [f] *Sed & in regione quadam, Galenus inquit, uinum in utribus appenſum obdureſcit in ſalis modum, aqua euaporante; Vbi uero terrarum ſita regio hæc habeatur, uel quo cenſeatur nomine, non explicat pluribus Autor hic. Mihi ex Ariſtotelis Meteororum quarto liquet, Arcadiam eße eam, ubi uinum* ὅτος, *inquit*, ἀναξηραίνεται ὑπὸ τοῦ καπνοῦ ἐν τοῖς ἀσκοῖς, ὡς τὸ ξυόμενον πίνεσθαι *idest, ita in utribus ſicceſcit ex fumo, ut abraſum & in minutíes pertritum ebibatur.* ſcilicet ramentis illis in aqua diſſolutis: vt enim fumo euaporauit aqua remanentibus vini partibus terreis & igneis ſub corpore ſolido, ſi ramentis huius corporis in locum euaporatæ noua reſtituatur aqua, vinum iterum fluidum fit atque potabile: qua de re forte Martialis, cuig

g lib. 3. ep. 40.

Vel cocta fumis muſta Maſſilianis.

Improba [h] *Maſſiliæ quicquid fumaria cogunt,*
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus.

h lib. 10. ep. 36.

Quum [i] *tua centenos expugnet ſportula ciues,*
Fumea Maſſiliæ ponere uina potes.

i lib. 13. ep. 123.

Maſſiliæ [K] *fumos miſcere niualibus undis*
Parce puer, pluris ne tibi conſtet aqua.

K lib. 14. ep. 118.

l 1. de anti. doc. cap. 3. Sed & Galenus [l] aſſerit, parentem ſuum, & alios olim ad induſcendam vinis vetuſtatem, vaſa in locis calidis, aut fumo expoſuiſſe; vt is continuo quodam & blando calore penetrans, aqueas partes abſumeret. Si ergo fumus poteſt a vino partem aqueam euaporando, quod ſupereſt incraſſare; ſique vinum Arcadicum fumo in vtribus adeo craſſeſcit, vt omni eius aqua conſumpta, concretum rigeat in duram conſiſtentiam, quæ gladijs abraditur, nouæ aquæ diſſoluendam ad potum; cur a fulmine fumoſo dolium incendio perfrangi, & vinum indurari nequeat? ſed rigor

gor,ac durities in eo vino non durat vltra triduum; quod in ſubito illo tranſcurſu fulmen non totam vini aquam abſumpſit, ſed magnam partem; reſiduam vero cogit, veluti coagulum in lacte cogit partem ſeri cum caſeoſa in duram conſiſtentiam: at ſenſim euaneſcente fumoſa exhalatione quapiam ex parte vino a fulmine impacta, & aere vini rigorem remittente, per reſiduum aquæ non conſumptæ vinum tranſacto triduo iterum fluit, ſed non in adeo tenuem liquorem, vt prius; quum Arcadicum vinum a fumi ignei diuturna deſiccatione partibus aquæ omnibus deſtitutum ſemper ſolidum conſiſtat, nec potulentum fluat; niſi deraſum & in aquam diſsolutum. Ceterum in hoc admirabili, vt dolium, quod frangitur; ita etiam vinum, quod ſtat nonfluens, & incendi, & fulmine tremefieri dicitur: inceditur ſane dolium, quia deuritur; tremefit; quia frangitur; fractio namque motus localis eſt partium, ad quem redigitur tremor omnis: inceditur etiam vinum, cuius partes igne conſumuntur: tremefit quoquopacto, dum riget cogiturque; nam qui tremefiunt, rigent, ac velut condenſationem corporis perpetiuntur. Addit autem Seneca, [m] *Illud æque inter annotanda ponas licet, quod & hominum, & ceterorum animalium, quæ icta ſunt, caput ſpectat ad exitum fulminis: quod omnium percuſſarum arborum contra fulmina haſtulæ ſurgunt:* id ſane rationem illam habere poteſt, quod, vt ait Ariſtoteles, [n] *ſemper putare oportet ſequi fulmina ſpiritum, & præcedere: ſed non videtur, quia ſine colore eſt: quapropter & qua debet percutere, mouetur, priuſquam percutiatur, tamquam prius inuadente principio ſpiritus:* nempe ventus ille præcedens fulmen, quum igneus ſit, & odore ſulfureo teter olfactui, feriens animantium capita, cogit ea caput ac olfactum auertere: natura ſemper effugiente obiecta moleſtiam inferentia; quare ſuperueniente mox fulmine proſtrata viuentia caput vergunt ad exitum fulminis: aſt arborum percuſsarum haſtulæ ſurgunt contra fulmina, quia ventus fulmina ſequens rapit ad ſe trahens arborem, trahit autem magis partem arboris maius pondus habens; quare truncum; adeoque haſtulæ retro manentes dicuntur contra fulmina ſurgere: Quocumque autem motu hęc agantur, certum eſt, dum a fulmine percutiuntur, concuti, ac quoquomodo tremefieri, Sed ſubdit Seneca, *Quid, quod malorum ſerpentium, & aliorum animalium, quibus mortifera vis ineſt, quum fulmine icta ſunt, venenum omne conſumitur.*

m 2. nat. qu. ca. 31.

n 3. me:eo c. 1.

mitur? vnde, inquit, ſcis? In venenatis corporibus vermis non naſcitur; fulmine icta intra paucos dies verminant. In primis, ſi verũ ſit, fulminata ſerpentium corpora venenum omne priſtinum amittere; diceimus id euenire, quia venenũ maximè frigiditate nocet, quam deſtruit ignis fulminis: quin & ignis ſulfureus, ignisque ſimpliciter vrens omnia venena conſumit. Deinde, niſi probationẽ adhibeat, non ita facile dabimus Anneo, vermes in venenatis corporibus non naſci; quum ſerpentum cadauera putreſcant, & cum materia putreſcente fere ſemper aliqua portio ſit, quæ animatur in vermes: nec dabit *a* Plutarchus, fulminata intra paucos dies verminare; quia ſi fulminis ignis ſulfureus cadauera percuſſorum hominum ſeruat imputria; cur nequibit idem cadauera ſerpentum imputria ſeruare? an forte fulmen cadaueribus hominum venenum indit, quod eximit a viperarum cadaueribus? nihil minus. Id tamen certum eſt, fulmine percuſſa venenata vel incendi, vel tremefieri, ſeu concuti. Sic igitur Aenigmariſta vetus diligentiſſime nobis vniuerſam naturam fulminum occuluit, atque artificioſiſſime, ſub ænigmate Pyronarchę; nam *Pyronarcha*, flamma-Princeps; & *Pironarca*, flamma-velox, vel flamma-ſtupefaciens, *ex Vulcano*, igne; *& Diſcordia*, antiperiſtaſi, *genita eſt*, naturaliter producta, *Vulcano menſtruum*, igne tum ſubterraneo fumidas exhalationes; tum ſuper aerem circumrotato ſui partes impuriores *aluum*, mediam regionem aeris: *Diſcordia vero ſemen conferente*, Antiperiſtaſi denſam ac humidam nubem conferent. *Quandocumque autem*, in omni anni tempore. *Iupiter*, cuius proprium telum eſt fulmen, *Tyronarchã mittit*, fulminat, *in mundum*, ſublunarem, *vel incendit*, comburens quæ fulmine tanguntur; *vel etiam tremefacit vniuerſum*, terrorem incutiens omnibus viuentibus.

a 4. Sympoſ. qu. 2.

FINIS LIBRI PRIMI.

FOR-

FORTVNII LICETI

PYRONARCHÆ
LIBER SECVNDVS.

In quo proponitur ænigmatis interpretatio Medica de Febrium origine.

Præfatio detegens occaſionem ſecundæ ſolutionis Griphi aſſerendæ.

QVum ſuperiorem de fulminis natura interpretationem Scrupo myſticæ Pironarcę iam adhibuiſſem; eius compendium miſſurus doctiſſimo Recalcho, qui mihi diſſoluendum ænigma propoſuerat; & a quo per litteras poſtulaueram nomen Autoris, qui Griphum conſtituerat; & ipſiſſimam ænigmatis orthographiam; ab eximio viro ſecundam habeo epiſtolam his plane verbis.

Fortunio Liceto Iulius Recalchus Bene Agere. Ita ſplēdet humanitas tua V. D. in reſponſione ad meas litteras, vt erubeſcam in mea tam rudi ſalutatione; ac in mea tam laconica tecum gratulatione de fortunata tua præſeruatione. Quantum ad ænigma, Aliquot ab hinc annis quum eſsem Rauarini (locus hic eſt DD. Comitum Rangoniorum in Mutinenſi Ditione) vt inuiſerem Marchionem Alexandrum Zaccaliam; introductus fui ab illis Dominis in pulcherrimum eorum Muſæum; & aggreſſus auida manu codices manuſcriptos, qui aderant ibi multo innumero; cępi vnū illorum legere, cui titulus erat, *Flores Medici Cœlij Igiani*: & inter alia notabilia (quæ multa in eo inerant) reperi fabellam hanc, ita ſcriptam ad verbum, & eadem orthographia, qualem ad Te miſi: & (meo arbitratu) a nomine Pironarcæ, & ab effectibus, quos deſcribit Cœlius, credo fabellam eſse denotatricem originis & productionis febris, & maxime putridæ, & nocumentorum, quibus afficit hominem; quia verbum Pironarca ſignificat ignem mortiferum; & quia febris incendit, & ſæpe tremefacit hominem; qui ſecundum Picum eſt quartus Mundus. Poterit D. T. accuratius conſiderare ſuper hac re; & inueſtigare quid velit Autor dicere, ac ſignificare per Diſcordiam, & per Vulcanum; & cur ponat a Diſcordia conferri ſemen; & a Vulcano menſtruum, & ventrem exhiberi; & quid denotet eorum congreſsus indi-

" gnatione & ira promotus potius quam amore. Et ego ex pectabo
" tuam ſententiam. Ferrari r. XXVII. Decen bris MDCXXXII.

Vt viro Clariſſimo, eidemque amiciſſimo morem gererem; ſtatim breuibus indicaui, qua ratione poſſet hoc idem Aenigma de Febre interpretari; quam quidem ſolutionem præſtat nunc etiam huc afferre, repetito prius Aenigmate toto, vt legitur in autographo.

Secunda explicatio griphi Tyronarchæ, in quo dicitur a Medico tractari de Febrium origine generatim. CAP. I.

PRofecto ſcrupus iſte Vetus in exemplari, cui Cœlius Igianus antiquus Autor titulum fecit, *Flores Medici*, ſic ad vnguem legitur manuſcriptus, oculato teſtimonio doctiſſimi Recalchi.

,, *Tironarca ex Vulcano & Diſcordia genita eſt.*
,, *Vulcano menſtruum, & alum, Diſcordia vero*
,, *Semen conferente, Hisque non amore ſed*
,, *Indignatione ad congreſſum compulſis.*
,, *Quandocunque autem Iupiter Tironarcam mittit in mundum*
,, *Vel incendit, vel etiam tremefacit vniuerſum.*

Licet inter Flores Medicos potuerit Cœlius etiam digreſſiuncula quapiam griphum texere de fulmine; ſiquidem & Hippocrates, & Galenus in ſuis operibus Medicis plurimas res phyſiologicas pertractant, vt propterea ſuperior explicatio locum habeat etiam in propoſito: tamen non inficiabor hunc griphum eſſe poſſe vnum e floribus Medicis in eo volumine ab Igiano propoſitis; ſed qui fuerit iſte Cœlius Igianus, Græcusne, an Latinus autor: ipſe ne griphum condiderit, an ab alio Autore formatum is in ſuum librum adduxerit, nondum mihi licuit aſſequi: certe qui flores Medicos compilauit, Medicus non eſſe non potuit. Si tamquam medicum florem hoc ænigma propoſuit, in eo certe de febris origine tractat, non quidem de ſola putrida, meo iudicio, ſed abſolute de febre generatim; vt ex diligenti ſingularum partium ænigmatis inſpectione cuicumque patebit.

PYRONARCHA.

SI legendum ſit, vt in autographo, Pironarca; nominis etymon deduci poteſt vel ἀπὸ τοῦ πυῤῥὸς, quod fuluum Dioſcoridi ſigni-

gnificat, obſeruatu Porti, & Conſtantini Lexicographi; καὶ νάρκας, quod torporem indicat; adeoque Pitonarca ſonet idem quod Latine fulua torpens: quod nomen aptiſſime nobis febrem deſignat; quæ dicitur ab effectu fulua, quia reddit homines pallidos, ac flauos; ita mors eodem nomine pallida dicitur ab † Horatio; cui

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regumque turres. . . . .

Febris etiam dicitur torpens, quia quum ſit, autore *a* Celſo, & Galeno *b* & Aueroe morbus vniuerſalis totius corporis; ac lædat vitietque cunctas vitæ functiones; morbus etenim generatim definitur *c* Medicis eſſe præternaturalis affectio per ſe primo lædens operationes; ideo febris reddit homines ineptos ad omnes actiones, eoſque deſides torpere cogit in lecto decumbentes; vnde recte dicitur Pitonarca, quaſi flaua-torpens, ſeu fulua-ſtupens. Vel dicitur Pironarca ἀπὸ τοῦ πυῤῥὸς, quod fuluum ſignificat; καὶ ἀρκῆς, quod Heſychio velox denotat; dempto altero, ρ ad nomini muliebri mollitiem conciliandam; nam etſi febris homines pigros & ad motum torpentes efficiat; ipſa tamen velox eſt; quoniam ictu oculi totum corpus vniuerſum pallore inficit; tũ a corde per venas & arterias ductu ſpirituum, qui cum impetu lati dicuntur ab *e* Hippocrate impetum facientes, & ſanguine tenuiori velociſſime feruntur in omnes corporis partes: quod monuit etiam Galenus inquiens, *f Ad principium inſiti caloris*, quod eſt cor, *vbi peruenerit intemperies*, quam febrem dicimus, *totum celeriter corpus, principij ſentit affectum*, febrilem ſcilicet intemperiem; de qua tractat eo loci Galenus ex profeſſo. Ceterum ſi mendum irrepſerit in autographum, vel amanuenſis, vel alterius culpa ſcriptoris; ac vere legendum ſit Pyronarcha, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, quod ignem ſignificat, καὶ ἀρχῆς, quod primum, vel principium deſignat; Pyronarcha iam erit ignis primus, vel ignis princeps; vtroque hoc nomine non inepte deſcribitur in ænigmate febris: cui ſane conuenit in primis nomen Ignis; definitur enim a *g* Galeno, ab *h* Auicenna, & communiter a Medicis eſſe calor igneus, calor accenſus, & inflammatus. Quin & Galenus *i* obſeruat, Hippocratem ſæpius appellare febrem nomine Ignis; *K* ait enim, *Silenum ex laſſitudinibus, potationibus, & exercitationibus intempeſtiuis, ignis corripuit.* & mox *l*, *Qui in Dealcis decumbebat horto, diu capitis conflictabatur grauitate, atque dextrũ* tem-

† lib. 1. Ode 4.
a lib. 3. ca. 3.
b de cauſ. morb ca. 1.
c 3. collig. c. 3.
d Gal. 1. de ſan. tu. ca. 5.
e 3 epid. ſ. t. 11.
6. epid. part. 7.
f de cauſ. morb. cap. 2.
g de vic. acu. comil. 1. aph. cõ. 14.
4. i 6. epid. 25.
h 4. cã. c. 1.
i de vit. nau. c. 1.
i. de morb. pap. c. 3.
K 1. de morb. vul. com. 3. æg. 2.
l ægr. 3.

pus dolebat, quum occaſione igne eſt correptus, decubuit. Quoniã vero febris eſt calor igneus, potiſſimum ac principaliter accenſus in *m* Corde; nam vt ait Galenus, febris eſt caliditas in corde; febriſque nondum eſt, niſi *n* cor igneo calore præternaturam ſit inflammatum; & plane cõſtat apud omnes Medicos, febrem omnem eſſe principaliter calorem igneum cordis, ſeu primo accenſum in Corde; indeque diffuſum in omnia membra corporis: Quum autem Cor ſit pars omnium prima, & omnium princeps *o* Ariſtoteli, & *p* Auicennæ; ac ſaltem Cor inter membra principalia ſupra iecur, ac teſtes ponatur ab omnibus Medicis; iam febris apte dici potuit a Medico Ignis primus, & Ignis princeps, ſub nomine Pyronarchæ, quia ſit Calor igneus Cordis, quod eſt membrũ & primum origine, & princeps dignitate Ariſtoteli, & Auicennæ: accidentia vero deſumere ſibi prærogatiuas, & conditiones a conditionibus & prærogatiuis proprij ſubiecti, nouum non eſt in Peripato. Sed & obſeruatu *q* Pierij, *Febri nomen eſt ab igne Græcum πυρετος, a feruore Latinum eſt.* Siue igitur Pironarca, ſiue Pyronarcha ſit in gripho, ſemper febris erit Medicis intelligenda. Quin & Galenus diſertis verbis ait febrem *r* primum ignem præternaturalem ita, *Ex primarum ægritudinum numero febris eſt vna, quando in corde quædam præter naturam caliditas generatur:* quare ſcite dicitur Pyronarcha, hoc eſt primus ignis.

m Auic. 4. can. cap. 1. Auer. 3. coll. 3.
n de cauſ. morb. ca. 2.
o de vit. & mor. c. 2.
p 1. can. fen. 1. doc. 5 cap. 1.
q 1. Hierogl. Vid. vid. 1. de feb. c. 1.
r 1. de diff. febr. cap. 3.

EX VVLCANO.

PRofecto quum ignis febrilis habeat pro materia calorem naturalem cordis; nam definitur febris eſſe mutatio *ſ* caloris natiui ad igneum, vel etiam eſſe calor natiuus *t* mutatus in igneum: quum calor etiam natiuus ab Ariſtotele nuncupetur nomine ignis, tum qui diſperſus in toto corporis habitu, commune inſtrumentum eſt animæ ad omnia vitæ munia obeunda; quo ſenſu dixit *u* alicubi, ignem in animalibus, & plantis non eſſe cauſſam præcipuam nutritionis, & augmenti; ſed concauſſam, animæ deſeruientem: & alibi, *x* his notis, *Quoniam autem dictum eſt prius, quod ipſum viuere & animæ habitus cum caliditate quadam eſt (nam concoctio per quam alimentum fit animalibus, neque ſine anima, neque ſine caliditate eſt; igne enim operantur omnia)* ex quo

ſ Auer. 3. coll. 3. Gal. 1. aph. com. 14. 16. & aph. 47. 1. cant. 18.
t Vid. vid. 1. de febr. c. 2.
u 2. de an. t. 40. 41.
x de reſp. cap. 10.

quo loco deſumpta videtur famoſa illa propoſitio, ſeu dignitas phyſiologica, Frigidum non ingreditur opera naturæ: tum qui maxime viget in corde calor naturalis ab Ariſtotele nuncupatur ignis, dum ait, *y Omnes autem particulæ, & totum corpus animalium habent quamdam caliditatem naturalem: quapropter viuentia quidem videntur calida, morientia autem & priuata vita contrarium: Neceßarium autem eſſe caliditatis huius principium in corde ſanguinem habentibus, exanguibus autem in proportionali; conficiunt enim, & concoquunt naturali calido alimentum omnia, maxime autem quod principaliſſimum: quapropter alijs quidem partibus infrigidatis remanet vita; eo autem qui in hoc, corrumpitur omnino; quia hinc principium omnibus dependet caliditatis; & anima, tamquam ignita in his particulis, exanguium quidem, in proportionali; in corde autem, ſanguine praditorum.* Quin & * alibi ait Ariſtoteles, *ſed & cor omnibus animalibus neceſſarium eſt, propter caloris originem; locum enim adeſſe aliquem quaſi lares, focumque oportet, quo naturæ fomites, & primordia ignis natiui contineantur, & ſeruentur.* Sicut ergo Medicus Hippocrates febrilem calorem in comparatione ad natiuum, qui mitior eſt, igneum appellauit; & febrem ignem; ita nunc Philoſophus Ariſtoteles natiuum calorem in comparatione ad alimentum, & ad humidum radicale, nuncupat ignem; quod proprie ſit portio miſti viuentis ignea temperata ab alijs elementis contrarijs ſibi commiſtis; etenim calor innatus hominum adeo vegetus eſt, vt ſenſu tactus euidentiſſimus habeatur; & actuoſiſſimus omnium vitæ functionum inſtrumentarius opifex apte cenſeatur; quæ munera ſoli calori ab ignei elementi portione miſtis viuentibus inexiſtente competunt; non autem calori portionis aereæ; quod calor aeris z inſenſibilis eſt, ac minimæ actiuitatis; vt propterea non aerem, ſed ignem agere, in quantum calidus † eſt, dixerit Ariſtoteles; ac proprium ignis eſſe calorem; quin & ignem magis eſſe a calidi quam ſicci, & aerem magis humidi quam calidi; quod eſſentia & facultas ignis magis in calore conſiſtat, quam in ſiccitate, licet vtraque qualitate nitatur; & eſſentia, facultasque aeris conſiſtat potius in humiditate, quam in caliditate, quamuis vtriuſq; ſit particeps qualitatis: ideo itaque calor naturalis ab Ariſtotele recte nuncupatur ignis; quod ſit ignea miſti viuentis portio temperata ab alijs elementis, quibus admiſcetur.

y de vit. & mort. ca. 2.

* 3 de par. c. 7.

z 1. phyſ. t. 54.

1. de gen. t. 24.

† de ſenſ. & ſenſ. ca. 4.

a 2. de gen. t. 23.

Quam

b lib. de cord.

Quam ſententiã habuit etiam Hippocrates *b* calorem inſitum ſiniſtri ventriculi cordis appellans ignem. Quum autem ignis omnis ab Inventore ſuo dicatur Vulcanus, vt *c* antea vidimus; apte noſter Aenigmatiſta ſcribit, febrim, quæ *d* caloris natiui paſſio eſt, genitam eſſe ex Vulcano. Seruatque in hoc antiquæ fabulæ decorum, quo iuſſu Iouis dicitur a Vulcano facta fuiſſe Pandora lutea, ex cuius aperto vaſe, prouenerunt mortalibus, Promethei culpa furantis ignem e cœlo, omnia mala, ſpeciatimque febres; qua fabula priſci Poetæ nobis primam hominis creationem, & labem adumbrare videntur: nam verbo Dei ex *e* luto formata eſt humana natura, cui Deus omne donum dedit, quando rerum aliarum omnium *f* dominium tribuit; ceterum omnes morbi in hominem irruere Adami culpa conſentientis vxori ſuæ ad appetendam ſcientiam *g* boni & mali, qua ſperabat ſe Deo æquiparare; quæ ſcientiæ ſymbolo cœlitus *h* deſcendentis ignis deſcribitur in Actis, *Factus eſt repente de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes: & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum; & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto; & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* hunc cœleſtem ignẽ doctrinæ, ſcientiæque boni & mali, quum ſuaſu Dæmonis contra præceptum Domini, adeoque inuito Domino, per eſum vetiti pomi ſibi rapere ſtuduiſſet Adam, & Eua; in pœnam furti illius, mulieri *i* multiplices ærumnas, & Adamo labores, ac vtriſque morborum omnia genera, ſpeciatimque febres; quæ dicuntur irruiſſe in humanum genus ex aperto vaſe *K* Pandoræ, quia tunc eis obnoxia facta eſt humana natura, quando mulier, & vir eius Adam aperuit illa quidem ſerpenti Dæmoni, hinc autem ſeductæ mulieri conſenſum ac voluntatem ſuam; vel etiam os ad eſum interdicti fructus: & ſane huius myſtici Promethei culpa furari ſatagentis ignem ſapientiæ, qua Deo coæquaretur, irrepſiſſe in humanum genus omnia mala, ſpeciatimque febres, apte cecinit Horatius, *l* ita

c lib. 1. c. 3.
d Gal. 1. aph. 14. 16.
e Gen. 3.
f Geneſ. 2.
g Gen. c. 3.
h Act. Ap. 2.
i Gen. 3.
K Hygin. & Giral. ſynt. 13.
l lib. 1. Ode 3.

Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Poſt ignem ætheria domo
Subductum, macies & noua febrium,
Terris incubuit cohors.

ex Vulcano autem orta dicitur antiquitus febrium noua cohors,

quia

quia morborum omne genus in humanam naturam irrepſit ex igne concupiſcentiæ, quo primi parentes, mali ſerpentis tentationibus æſtuantes, dum Deo ſeſe vetiti fructus eſu æquales in ſcientia boni & mali reddere conantur; in morborum omnium, febriumque potiſſimum miſerias collapſi ſunt: Vt enim Angeli mali potiſſimum igne *m* concupiſcentiæ ſpiritualis æſtuantes Altiſſimo Deo ſeſe ſimiles reddere, in omnium miſeriarum barathrum detruſi ſunt; quorum infelicitas ex Vulcano genita dici potuit a Poetis; nõ abſimili ratione Pyronarcha, quæ febris eſt, omnium morborum, princeps, ac typus, in ænigmate dici potuit orta ex Vulcano, nimirum ex igne illo concupiſcentiæ, quo primi parentes inſuflante Dæmonico ſerpente poſt Angelorum lapſum æſtuarunt ſeſe ſimiliter Deo ſimiles efficere, altiſſimoque per ſcientiam boni, & mali comparare. Multa ſiquidem ſacrarum ſcripturarũ myſteria priſci Poetæ fabularum inuolucris obtegere conſueuerunt. Quod in ſua Præparatione Euangelica teſtatur † Euſebius ex Clemente Alexandrino, cui ſcribitur Antiquos Gentiles, *quæ nobis per ſanctos viros miraculoſe tradita ſunt, imitatos, fabulis implicuiſſe*. Qui pariter Angelorum deiectionem e cœlo in barathrum cecinerunt (vt antea notauimus) ſub apologo Gigantum a Ioue fulminatorum, telis à Vulcano ſibi fabricatis: vocantes illorum concupiſcentiam, ac libidinem ſpiritualem; de qua docte Subtilium *n* Princeps, Vulcanum; quę concupiſcentia inordinata Deum excitauit ad eos malos puniendos, ideo Vulcanus dicitur fabricaſſe tela Ioui, ac fulmina ad gigantes deijciendos; quum fulminum ictus repente ac veluti momento fulminatos deſtruant; alludentes poetæ ad illam celerem ac momentaneam prauorum Angelorum depulſionem e cœlo in barathrum, dixerunt eos gigantes a Ioue fulminatos. Itaque myſtica Pyronarcha, quæ febris eſt, ortũ habere dicitur ex Vulcano, qui calor natiuus eſt, ab Ariſtotele *o* ſæpius ignis appellatus; & ab † Hippocrate pariter, cui *Cordis ambo ventriculi denſi & aſperi ſunt in interna ſui parte, & veluti ſubcorroſi, magiſque ſiniſter quam dexter: nam inſitus a natura ignis non eſt in dextro*.

m Scot. 2. ſen. diſt. 6. qu. 2.

† lib. 10. cap. 2.

n 2. ſen. diſ. 5. qu. 2. & diſt. 6. qu. 2.

o 2. de an. c. 40. 41. & de reſp. ca. 10. de mor. & vit. ca. 2.

† lib. de Corde.

ET DISCORDIA.

DIſcordia porro febrim producens nihil aliud eſt, quam In-
temperies; intemperiem autem recte nuncupari
Diſcordiæ conſtat ex eo, quod vt in bona temperie, quæ ſanitatis
latitudinem fouet, qualitates omnes, quamuis ſtatu ſua ſint ad
inuicem contrariæ, refractis tamen exceſſibus, et vtiſque viri-
bus pacatæ ſimul in ſano corpore permanent, amicitiæ fœdero
in vnum iunctæ; ſed in intemperie morboſa, quia neceſſario vel
vna, vel altera qualitas excedit vribus alias, illico cum exceſſu
virium exurgunt odia prius conſopita, & naturales contentio-
nes; nec poteſt qualitas valde prædominans perpeti ſibi contra-
riam qualitatem in eodem ſubiecto; quare protinus in eam im-
petum facit, vt ipſam deſtruat, aboleatque; viciſſim debilior alia
repugnat aduerſariæ, ſe ſeque tueri contendit viribus omnibus
naturæ ſuæ; quapropter intemperies morboſa nihil eſt aliud quã
purum putumque diſſidium, purum putumque Litigium, ac
omnino Diſcordia contrariarum qualitatum aperto jam Marte
inter ſe pugnantium in miſto viuente. Ceterum ex intemperie
febrem oriri, teſtis eſt apertiſſime Galenus inquiens citatis ver-
bis; p *Eſto iam morbus ex intemperie, verbi gratia, vnde febris e-*
tiam conſtitui nobis demonſtratum eſt. & alibi, q *Sunt igitur ſup-*
poſitiones hæ: calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, eſſe corpo-
rum elementa; primasque ex eorum intemperaturis conſtitui agri-
tudines; ex quarum numero febris eſt vna, quando in corde quædam
præter naturam caliditas generatur. Nec ſane procul abeſt a ra-
tione, intemperiem eſſe cauſſam & principium, vnde naſcitur fe-
bris; quia febris eſt quædam ſpecies intemperiei; genus autem
eſſe quoquo pacto principium generationis, & cauſſam ſuarum
ſpecierum, docuit aperte vel ipſe Porphyrius inquiens, r *ete-*
nim principium quoddam eſt huiuſmodi genus earum, quæ ſub ipſo
ſunt ſpecierum. Sic igitur febris myſtica Pyronarcha ex Diſcor-
dia, quæ dicitur intemperies

p de tot. morb temp. c. 2.
q 1. de diff. feb. cap. 3.
r cap. de Gen.

GENITA EST.

CErte febris non eſt ab Arte facta; licet Vulgo dicatur Ars
Medica ſanitatem facere; vnde quiſpiam dubitare poſſet

Artis medicinalis imperitiam vel abuſum efficere poſſe febres, aliosve morbos; quoniam Ars eſt velut inſtrumentum naturæ, quæ ſola morborum Medicatrix eſt; vt ait ſ Hippocrates. Neque febris eſt acta ab hominis voluntate; ſed vere ac proprie genita a cauſſis phyſicis: etenim vt ars omnis eſt principium rerum nouarum t factibilium factiuum, & fictibilium fictiuum: atque voluntas hominis eſt ſub habitu morali virtutis, vel vitij conſtituta cunctorum agibilium u principium actiuum: quum febris non ſit in genere agibilium, nec factibilium, fictibiliumue; ideo nec ab arte pendet, nec ab vllo habitu morali per ſe produci poteſt, ſiue ſit is in coordinatione virtutum, ſiue in grege vitiorum. Sed quum febris ſit in numero rerum generabilium a cauſſis phyſicis; propterea ſcite dicitur febris non facta, non ficta, non effecta, non acta, ſed genita. Belliſſime vero generationem febris ſub apologo Pyronarcæ quaſi generationem puellæ nobis deſcripſit Aenigmatiſta Medicus, id a Galeno doctus, alicubi comparante generationem morborum generationi animalium his notis x: *Quare morbi principium, quatenus aliquando ſalubri ſtatu labaſcente inuadit, in omnibus ipſis eſt ſine temporis productione æſtimatum: cum hoc ſane conceditur etiam cuiuſuis morbi generationem eſſe, ſicut in animantibus contemplamur: non enim ex particulis quibuſdam, ſicut animal ex capite, thorace, & artubus; ſic etiam morbi compoſiti ſunt: ſiquidem vbi ex naturali habitu decidunt, breuiſſimo quodam temporis ſpacio generationem ſortiuntur, indeque ad vigorem aſcendunt. Eſto iam morbus ex intemperie, verbi gratia, vnde febris etiam conſtitui nobis demonſtrata eſt: neceſſarium igitur, vbi calor hic naturæ contrarius primum naſcatur, hominem febricitare, caloremque ad vſque ſtatum intendi: nam cuius non ſunt partes, quomodo hoc temporis ſpacio generabitur?* ſcilicet, animalia, quod multiplici genere membrorum, multiplicique partium varietate formentur, habere ſui generationem, quæ ſenſibili, hoc eſt longo temporis ſpacio metitur: at vero febrim, cuius nullæ ſunt partes, quum ſit ſimplex qualitas, fere momento videtur abſolui, non autem ſenſim ac multo tempore generatur. Vnde recte dicta Pironarca fulua velox, non generari, ſed genita eſſe: quaſi ob velocitatem ſuæ productionis non habeat τὸ generari, ſed ſolum τὸ genitum eſſe; quippe generari tempore menſuratur Ariſtoteli y, at genitum eſſe z momento, quum ſit quid permanens, non fluens. Febris itaque Pironarcæ puellæ

ſ 6.epid.ſe. 5.

t 6.ethic. c.4. 6.meta.t.7.

u 6.ethic. cap. 5.& 6. meta.t.1.

x de tot. morb. tempor. cap.2.

y 4.phyſ.t. 132.138.

z 4. phyſ. paſſim.

comparatur, quia non arte fit, nec efficitur, nec effingitur; quod enim homines arte quapiam ſui producere Chimici nonnulli glorientur; id riſu explodendum eſt, ac indignum in quo conuellendo rationibus tempus conteratur: nec a voluntatis habitu febris agitur; ſed a phyſicis cauſis fit, animalium more: licet ad animalium differentiam, quorum generatio in aluo materna longiori tempore metitur, ob multarum partium organizationem; quæ cito non poſſunt omnes abſolui; febris nullarum partium organizationis indiga citiſſime fiat, ac potius genita eſſe, quam generari dicatur.

VVLCANO MENSTRVVM.

VVlcanus quum ſit ab Antiquis inter Deos maſculo-feminas *a* annumeratus; vt antea *b* vidimus apud Valerianum; ſed & Orpheus inuocans Vulcanum, eum appellauit Lunam, his *c* metris.

Vulcane fortem habens animum, robuſte, indefeſſe ignis,
Omnia comedens, omnia domans, præſtantiſſime omnium arbiter.
Æther, Sol, aſtra, Luna, lux impolluta:
Ille enim Vulcani partes mortalibus præluceat.

Quum itaque Lunam maſculo-feminam dicerent antiquitus, vt ex *d* Platone conſtat, & luculenter ex *e* Rhodigino, qui *Adijciamus* inquit, *de Luna quippiam ex hiſtoria & priſcæ religionis vanitate: ab Carrenis Lunum Deum eximio venerationis ritu coli; quoniam ſit ab prudentiſſimis traditum, qui Lunam femineo crediderit nomine appellandam, itaque habendam prorſum, muliebribus mancipatum delicijs vitam tranſmiſſurum, ſeruitutis onere ingeſtabili: at qui maſculorum decuriæ adſcribendam cenſuerit, eum velut vxori pro arbitrio iniecturum frena, reclinatis facile vel eluſis perruptisve inſidiarum tendiculis omnibus: nam Græcos quoque Aegyptijsque, etiamſi vti feminam videntur enuntiare, myſtico tamen ſenſu Deum plane credi*. Vt ergo Vulcanus, qui cum Luna eſt idem, maſculo-feminam obtinet naturam, adeoque Lunus, & Luna priſcis appellabatur; ita Vulcanus myſticus in homine maſculo-feminam habet etiam naturam, Medicisque promiſcue nuncupatur calor *f* innatus, & innata *g* caliditas. Vnde pulchre Vulcani nomine nobis Aenigmatiſta proponit calorem naturalem ſub natura femellæ; quum enim calor innatus

a Pier. Hierogl. 18.
b lib. 1. c. 3.
c in hymn.
d in Conuiu.
e lib. 2?. c. 7.
f Gal. 1. aph. 14. & 15.
g Gal. 1. aph. 16.

tus vt cauſſa efficiens *b* omnium operationum animalis, opti- *b Ariſ. de reſp. ca. 10.*
me referat naturam maſculi, qui actiuus eſt; ita caliditas eadem
natiua, vt cauſſa *i* paſſiua in febribus, obtinet in generatione
myſticæ Pironarcæ naturam matris, & officium feminæ; cuius *i Gal. 1. aph. com. 16.*
proprium eſt affici & pati à maſculo in generatione prolis; &
conferre materiam ſoboli, quæ menſtruum dicitur. Ceterum in
productione prolis animantis, a matre ſubminiſtratur men-
ſtruum, conceſſurum in materiam generandi viuentis; quod
quidem viuens, quum ſubſtantia ſit, non habet materiam, in
qua inſit; etenim per ſe ſubſiſtit; ſed obtinet materiam, ex qua
conſtituatur, ceu ex parte ſui eſſentiali; Verum ſi ſermo ſit de
myſtica Pironarca, quæ febris quum ſit, ac intemperiei ſpecies,
accidens eſt, ea non habet materiam, ex qua velut ex eſſentiali
parte conſtituatur; at ſolum materiam, in qua velut in ſubiecto
ineſt. Verum enimuero de tali Vulcani menſtruo, quod foret
materia generandæ febris, prima cogitatione conſideranti mihi
ſubijt in mentem dicere, ſcriberéq; Tibi, doctiſſime Iuli, nuper
non dubitaui, menſtruum, quod ad febrilis Pironarcæ genera-
tionem confert Vulcanus caloris natiui, eſſe tum ſpiritus ferui-
dos in Ephemeræ productione; tum vapores, humoresve coin-
quinatos in ortu putridæ; tum ſecundas humiditates in hecticæ
febris generatione; ſed rei natura intimius inſpecta, primam ex-
plicationem hanc abijcere voluimus; quia materia conceſſura
in ſubiectum febris, debet eſſe priuationis capax introducendæ
formæ; quum autem priuatio febris, quę morbus eſt, nihil aliud
ſit, quam ſanitas; iam menſtruum, ex quo generatur Pironarca,
debet eſſe ſubſtantia per ſe ſanitatis, & morbi capax, adeoque
ſubſtantia viuens, & animata; cuiuſmodi non ſunt ſpiritus, nec
putridi vapores humoresve, nec humiditates illæ ſecundæ par-
tibus ſolidis affuſę, ac adhærentes, infixęve, quas Arabum *K* Me-
dici nuncupant nomine roris, glutinis, & cambij: Ceterum hac *K Auic. 1. can. p. 2. d. 4. c. 2.*
in re philoſophati, nouimus materiam, in qua fiunt, & inſunt
accidentia, proportionem habere miram ad materiam, ex qua *lib. 4. f. 1.*
conſtituuntur ſubſtantiæ compoſitæ, ſi de materia vtrorumque *tr. 3. c. 1. & ſeqq.*
generationi neceſſaria tractemus: id enim aperte nos edocuit
Ariſtoteles ita, *l* *Multipliciter autem quum dicatur fieri; & ho-* *l 1. phyſ. c. 61.*
rum quidem non ſimpliciter fieri, ſed hoc aliquid fieri; ſimpliciter au-
tem fieri ſubſtantiarum ſolum (ecce Magiſtrum hic agere de gene-
ratione tum accidentium, cum etiam ſubſtantiarum: & in veriſ-

que

quæ docet neceſſario requiri materiam; ac primo quidem in ge-
neratione accidentium, ſubdens immediate) *manifeſtum eſt quod*
ſecundum alia quidem neceſſe eſt ſubijci aliquid, quod fit; etenim
quantum, & quale, & ad alterum, & quando, & vbi, fiunt ſubiecto
aliquo; propterea quod ſola ſubſtantia de nullo alio dicitur ſubiecto;
ſed alia omnia de ſubſtantia. (ecce, materiam neceſſariam gene-
rationi accidentium, ac proinde febrium, quæ ſunt accidentia in
m Ariſt. Præd. Qualit. — genere *m* qualitatis, nil aliud eſſe niſi ſubiectum, de quo prædi-
cantur, & in quo ſunt; nam idem eſt ſubiectum, ex quo genera-
tur accidens, & in quo genitum ineſt, & de quo inexiſtens præ-
dicatur: huic vero ſubiecto generationis accidentium propor-
tione reſpondens materia neceſſaria generationi ſubſtantiarum,
ſtatim ab Ariſtotele proponitur his notis, *Quod autem ſubſtan-*
tia, & quæcunque alia ſimpliciter entia ex ſubiecto quodam fiant,
conſideranti fiet vtique manifeſtum; ſemper enim eſt aliquid quod
ſubijcitur, ex quo fit quod fit; vt plantæ, & animalia ex ſemine. Se-
minis nomine Philoſophus, ex quo tamquam ex materiali prin-
cipio fieri dicit animalia, in præſentia nil aliud intelligit quam
n 1. de gen. an. c. 20. — menſtruum; etenim *n* alibi ſcribit idem Ariſtoteles, *& menſtrua*
ſemen ſunt, quamquam non purum: quum alioqui ſemen ab Ari-
2. de gen. an. cap. 3. — ſtotele *o* ſemper dicatur eſſe principium actiuum, & cauſa effi-
ciens gignendi viuentis; At quia menſtrua non ſunt niſi in ani-
o 2. phyſ. t. 29. — malibus, non item in plantis; ideo nunc agens Ariſtoteles de ge-
2. de gen. an. cap. 1. & 3. — neratione plantarum ſimul, & animalium, qui dicere non pote-
rat, animalia, & plantas fieri ex menſtruo; nam plantis men-
ſtrua non inſunt; non male conſtituit, animalia & plantas fieri
ex ſemine; ſeminis nomine deſignans tum menſtruum, quod eſt
ſemen impurum, in generatione animalium vicem obtinens ma-
teriæ; tum partem craſſiorem ſeminis plantarum, quæ portio
relata ad eiuſdem ſeminis partem ſpirituoſam, in qua *p* reſidet
p 2. de gen. an. cap. 3. — Ariſtoteleo monitu vis actiua, proportione reſpondens elemen-
q 1. meteo. ſu. 1. cap. 2. — to ſtellarum; in quo vis ineſt actiua *q* cunctorum euentuum
ſubcæleſtium; portio inquam craſſior ſeminis plantarum ſe ha-
bet ad portionem ſpirituoſam eiuſdem ſeminis, vt in animali
menſtruum feminæ ad ſemen maſculi: plantæ ſiquidem quia ſe-
xum diſtinctum non habent, ideo hæc menſtruum obtinent à ſe-
r 1. de gen. an. cap. 18. — mine *r* diſcretum. Sic igitur Ariſtoteles aſſerit, ſubiectum ac-
cidentibus ſubſtratum, in illorum generatione proportionatum
eſſe menſtruo, ac omnino principio materiali, ex quo proxime

generantur animalia, & plantæ. Quum itaque myſtica Pironarca, ſores inter Medicos locata, ſit febris, atque adeo accidens; iam quod in eius generatione ſuſtiner officia menſtrui, ac eſt principium paſſiuum, & materia, nihil aliud eſſe poteſt, quam id, in quo, velut in ſubiecto proprio, febris inſidet. Modo ſubiectum febris principale, in quo primo generatur, eſt cordis ſubſtantia; eſt etenim febris affectio mala, quæ primum gignitur in corde, in quo genita, ſtatim creſcit adoleſcens, ac veluti depaſcens reliquas omnes corporis partes; perinde ac infans primum vniuerſam ſui corpulentiam in actu generationis, conceptionisve ſibi ſumit ex ſola materni menſtrui materia; poſt conceptionem, generationemve deinde nutritur creſcens, & adoleſcens lacte, cibarijsque plurimis alijs: Ita ſane febris, quæ definitur *r* Auicennæ calor extraneus accenſus in corde, & procedens ab eo mediantibus ſpiritibus & ſanguine per arterias, & venas in totum corpus; habet pro materia ſuæ generationis, menſtruo proportione reſpondentem, ſubſtantiam cordis. Calor itaque naturalis inſitus, ac implantatus, qui & primogenius appellatur, & veluti forma ſubſtantialis de *ſ* Medicorum ſententia cordis corpulentiam regit ac moderatur; tanquam Vulcanus ſemina confert ad generandam febrem, quaſi menſtruum conceſſurum in materiam myſticæ Pironarcæ, Cor ipſum, ſiue Cordis ſubſtantiam: etenim ſubiectum febris, quæ morbus eſt per ſe primo lædens operationes, adeoque non eſt affectio niſi partis viuentis, & operationes habentis, non poteſt eſſe niſi pars viuens, & operationes habens. Nec tamen dubites, Cordis ſubſtantiam, nobiliſſimum viſcus, appellare menſtruum natiuæ caliditatis; ſi non dubitas aſſeuerare, Cordis ſubſtantiam eſſe ſubiectum generandæ febris. Neque turberis, menſtruum dictum eſſe *t* ſemen impurum; quoniam etſi comparatione ſeminis maſculei menſtruum recte vocatur ſemen impurum; ſunt nihilominus abſolute menſtrua, ex quibus velut ex materiali principio generatur infans in vtero, ſanguinis nutricatui materno ſuperabundantis portio puriſſima, & defecatiſſima; quod nos olim late demonſtrauimus in libro *de u perfecta conſtitutione hominis in utero;* & antea multo nos docuit *x* Galenus, & *y* Ariſtoteles apud *z* Plutarchum; Galeni verba ſunt: *Nam meliorem ſanguinem ad ſe fœtus nutrimenti cauſſa alliciens, relinquit deteriorem;* certum eſt autem omnia ex iiſdem nutriri, ex quibus conſtant, Ariſtotelis doctri-

na;

r 4. can. f. 1. tr. 1. cap. 1.

ſ Hippocr. lib. de Princip. & Cic. 2. de nat. Deo.

t 1. de gen. an. c. 20.

t 2. de gen. an. cap. 3.

u cap. 21.

x 1 3. epid. c. 3. ꝫ. 73.

y 2. de gen. an. cap. 4.

z 5. de plac. cap. 6.

a 2. de gen.

b 2.de gen. an.c.4. na; cui de propoſito talis eſt ſermo, *b. Quum autem ſemen de more acceſſerit in feminæ vterum, partem puriſſimam excrementi conſtituit.* Plutarchus item ait de conceptione tractans. *Ariſtoteles conceptionem fieri cenſet matrice ſurſum attracta à purgatione, menſtruisque trahentibus ab vniuerſa mole aliquid puri ſanguinis, qui accidat ſemini maris.* Deinde vero Pyronarchæ generationi menſtruum ſubſtratum non poteſt eſſe niſi purum quid, & maxime perfectum; quia quum febris imperfectio quædam ſit, ac impuritas naturæ; quumque nil niſi

c 1.phyſ.t. 42 & ſeqq. e ſuo contrario c generetur; contrariũ vero imperfecto & impuro purum ſit atque perfectum; optimo iure menſtruum, generandæ Pyronarchæ ſubijciendum, eſt perfecta puraque Cordis ſubſtantia. Ceterum & hic nos quidam retardat, qui procaci ſcripto noſtra dogmata damnauit *d* alibi, ſatis a nobis comprobata in opere noſtro de Ferijs Altricis Animæ, dum inquit, *e Cum itaque febris ſit ignis, & ignis ſit ſubſtantia, febrem ſubſtantiam teneor dicere.* Sed liberemus hunc hominem ab hac obligatione, dicentes febrim per tropum appellari nomine ignis, quod ſit ignea qualitas, non quod ſit ignea ſubſtantia; non enim proprie dicitur πῦρ, quod eſt ignis, ſed πυρετός, quod eſt ignea paſſio: ſecus etenim hoc ſuo parallogiſmo teneretur dicere febrim eſſe ſimplex elementum, eſſe partem eſſentialem miſti viuentis, eſſe corpus leue, ſummæ agilitatis, ac ſurſum ſemper inhians; quum ignis, qui proprie ſubſtantia eſt, ſit elementum ſimplex, ſit pars eſſentialis materiæ miſti viuentis, ſit corpus leue, mobiliſſimum, ac ſurſum ſemper aſcendere geſtiens. An dicet febrim non eſſe ignem illum, qui ſimplex elementum dicitur; ſed illum, qui eſt corpus miſtum? erit igitur vel flamma, vel pruna; quum præter hæc tria, quartum ignium genus inter ſubſtantias naturales non inueniatur: at ſi velit febrim eſſe flammam; primum quidem poterit ipſe ſuos febricitantes viſu dignoſcere citra tactum arteriæ, quum flamma ſit viſui lucida, mireque ſenſum oculorum percellat: deinde febrientes inopes hoc ſibi ſentient ex febribus emolumentum, quod nihil erogabunt pecuniarum in lychnis ſibi comparandis; at caueant ipſi ne cubent in paleis; caueatque Medicus illis hypochondria tangere; non enim poterit impune febrientis corpus attingere: ſed quo naturæ miraculo febrientes non adurant linteamina, nec manum Medici tangentis arteriam: quoue portento febrientium corpora non ſemper ſurſum inhiet,

Margin: d Caſtro lib. 2. de met. mic. cap. 9 & lib. de Aſicia. — e 3. de met. mic. cap. 8. & 9.

vt

vt flammæ ceteræ, ſed immota iaceant, deorſumque ferantur; doceat hoc ille, qui febrim flammam eſſe vult citra metaphoram. Sin autem dicat febrim eſſe prunam; prohibeat ſuis febrientibus vitam clinicam; comburent enim cum ſtratis vniuerſam ſuppellectilem: imperetque ne flabellis vtantur; nam eorum agitatione carbo febrilis magis accenderetur, & non poterit ex ea pruna non excitari flamma: doceatque nos ille quomodo carbones ignitos contrectet illæſus, dum pulſum quærit ad radium; dumque febrientium lienem, aut hepar inquirit, habeatne tumorem, aut duritiem. At ſiue flammam ipſe, ſiue prunam cenſeat eſſe febrim; iam ſine tot pharmacis amaris ora lancinantibus, ac vniuerſum corpus ægrotantis mire miſereque torquentibus; & ſine tot Syrupis ad nauſeam ſtomachum mouentibus, febricitantes ſuos, nullo pecuniarum impendio, ſummaque ipſorum voluptate, facillime curare poterit, ſi ſtatim acceſſitus ijs plerumque tum ſitientiſſimis aquæ frigidioris hauſtum ad ſatietatem, tum æſtuantibus balneum pariter aquæ gelidæ præceperit; mirum eſt enim, quam ad extinguendam tum flammam, tum quoque prunam valeat aqua frigida in multa copia: Sed interim ſibi caueat a pharmacopæis, & a mercatoribus ex India pharmacorum materias in Italiam comportantibus, ne forte damnorum emergentium, lucrorumque ceſſantium iacturas vlciſci velint. Sed ad alia huius hominis placita tranſeamus, quibus oſtendere conatur febrim & omnem morbum eſſe ſubſtantiam: ſubdit, *Neque hoc ſine ratione, quia f Galenus calorem duobus modis vſurpauit pro qualitate videlicet, & pro corpore calido, & innatum calidum appellauit ſubſtantiam: cum igitur contraria in eodem genere debeant conſtitui, calor febrilis innato contrarius exiſtit, ſubſtãtia etiam erit.* Galenus, qui nouit optime, g ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium, áſſeret calorem febrilem innato contrarium eſſe, quatenus vterque continetur in eodem genere qualitatis, extra Prædicamentum ſubſtantiæ; in quo nulla ſunt poſitiue contraria. Subiungit, *Galenus h ait, ex calore naturali fieri euaporationes mites, & tenues; ex aſcititio fieri effluxus mordaces, e febrili euaporationes tactum mordentes: cum igitur non fiant niſi a ſubſtantia, febris ſubſtantia dicenda eſt.* Non videt Galenum ibi ſe ſatis explicantem, & euaporationes illas non ex calore velut ex materia, ſubſtantiaque corporea dicentem; ſed aſſerentem vtraſque illas effluxiones eſſe partus caloris agentis in corporis humani ſubſtantiam; quia calor naturalis, vt elementa-

f adu. Lyc. 1. aph. 14.

g i Præd. ſub.

h 1. aph. 14.

ria qualitas,& aerea, proindeque mitis, agens in humidum radicale corporis, ex eo ſuſcitat vapores tactui ſuaues: at calor febrilis, vt qualitas ignea ferox, adurens corporis ſubſtantiam, inde fuligines educit, quæ ſunt exhalationes tactum mordentes: cauſſa vero efficiens halituum nō eſt ſubſtantia, ſed qualitas; nam calor Solis in aere accenſus ex radiorum multiplicatione prope terram, accidens eſt, a *i* quo ex humido terræ circumfuſo vapores, ex terra vero fumidæ tolluntur exhalationes. Addit, *Mihi videtur febris eſſe ſubſtantiam in qua ignis accenditur*. Solœciſmum Prisciano caſtigandum reſeruans, obſeruo ſub hac phraſi non latere, ſed iacere falſum theorema; quia ſubſtantia, in qua febrilis ignis accenditur, omnibus Medicis eſt Cor, vel totum corpus; quorum illud eſt principale ſubiectum febris, hoc autem adæquatū: at cui febris videtur eſse Cor, aut corpus humanum, næ ille ſuperat omnes Medicos i genij perſpicacitate. Adijcit, *Imo potius ignis accenſus*. Neque vero correctionem hanc *K* Auicennas approbat, cui febris eſt calor extraneus accenſus, adeoque qualitas; non ignis accenſus, qui ſubſtantia ſit: an febrili calore corpus accenſum inflammare poterit pyrium pulueren? id certe facit accenſus ignis, qui ſubſtantia eſt. Adiungit, *Ita vt quemadmodum communiter dicitur, calorem naturalem eſſe moderatum, aſcititium vero immoderatum: ſic ego dixerim vitalem ignem eſſe moderate accenſam balſamicam ſubſtātiam; febrilem vero & præternaturalem eſſe immoderate accenſam ſiue balſamicam, ſiue quamlibet aliam ſubſtantiam*. In primis male diſtinguit materiam ſubſtratam calori naturali, quam balſamicam appellat, a materia ſubiecta calori febrili, quam aliam a balſamica ponere non veretur; non videns omnibus Medicis febrem eſſe conuerſionem caloris naturalis in igneum, ſiue calorem natiuum ad igneum mutatum; eamdemque prorſus materiā eſſe vtrique calori ſubiectam: nec animaduertens Ariſtotelis dictum ab omnibus receptum, *l* contraria nata eſſe fieri circa idem ſuſceptibile; proindeque calorem febrilem, & natiuum quum contrarij ſint, in eadem materia fieri debere. Deinde peius confundit ſubſtantiam cum accidēte, non diſcernens ſpecies ſubſtantiæ ab accidentibus in concreto; dum enim probare conatur febrim eſſe ſubſtātiam, ſolum oſtendit eam eſſe accidens in ſubſtantia inhærens; nec videt ſubſtantiam phyſicam eſſe, cuius tum materia, tum forma ſpecifica ſeorſum *m* ſubſtantia eſt: at accidens in concreto ſumptum, vt quantum, quale,

i 1. meteo. ſu. 3. cap. 1.

K lib. 4. cap. 1.

l c. de opp.

m 2. de an. t. 2.

le, calidum, album, & ſimilia, licet materiam ſubſtratam habeant, quę ſubſtantia eſt; tamen quia in tali materia inexiſtens forma quantitatis, qualitatis, caloris, & albedinis, accidens eſt; ea propter *n* Ariſtoteles numerat, non inter ſubſtantias, ſed inter accidentia quātum, quale, calidum, & album: iam eſto balſamica ſubſtantia (ſic ille vocat more Chymiſtarum fortaſſis humidū radicale) vel alia quęuis in febri accenſa immoderate; caliditas, & accenſio illa immoderata, quæ forma ſpecifica febris eſt, accidens ne fuerit, an ſubſtantia? ſi accidēs; ab ea ſane febris dicēda erit accidens; accidens enim phyſice conſtituere nequit in eſse ſubſtantiā: ſi ſubſtantia, iam habebimus formā ſubſtantialem per ſe ſenſibilem, tactuque ſenſibilem; immo mutatio de ſane in febrientem non erit alteratio, ſed mutatio ſubſtantiæ; nec erit idem indiuiduum ſubſtantiæ Silenus cauſone, vel hectica febre correptus cū Sileno prius infebricitante; nec idem erit quum a febre conualuerit cum Sileno antequam febri corriperetur. His abſurdis attexit ſimilia dicens, *Quæ autem ſubſtantia ſit accenſa, ſymptomata produnt: febris hecticæ gradus, ſiue ſpecies, ſiue tempora a diuerſis ſubſtantijs, quæ accenduntur, diuerſitatem accipiunt*. Confundit materialem cauſſam febris cum effectrice, quam perperam putat eſſe materialem: materia, quæ ſubſtantia eſt febri ſubiecta, Cor eſt, ac totum corpus: humores putridi, ſpiritus æſtuantes, ac ſecundæ humiditates in ſolidis partibus, non ſunt ſubſtantiæ febri ſubiectę, ſed ſunt cauſſæ febrium procreatrices, hoc eſt effectrices, non materiales; vt antea probauimus. Mox *o* ſubdit, *Morbi omnes ſubſtantiæ. Quemadmodum febrem ita, & alios morbos ſubſtantias conſidero*. Sic plane dicere poterat, Accidentia cuncta ſe conſiderare ſubſtantias, locutionem afferens doctrinæ parem; an ne malæ partium temperaturæ, malęque conformationes, vt luxationes, & alia ſexcenta morbi non ſunt? accidentia non ſunt? ſubſtantiæ ſunt? male nos inſtruit *p* Ariſtoteles, qui redigit ægritudines omnes vna cum ſanitate ad ſecundum genus qualitatis inter habitus & diſpoſitiones, adeoque inter accidentia. Pergit his paria ſcribere ſubdens, *Neque dialecticis conſiderationibus irretitus quæro an lapis in veſica ſit morbus*. Dialectica, ſi quis ea bene vtatur, non irretit, ſed docet verum a falſo diſcernere; Quare non abutentes dialectica reſpondent quæſito, Lapidē in veſica, ſi ſermo ſit de ſubſtantia lapidis, non eſſe morbum, ſed morbi cauſſam: morbus autem, quem parit in veſica lapis, eſt ma

n 1. phyſ. t. 62. Prędi. ubſt. Qualit. & Quant.

o cap. 9.

p Præd. Qual.

ta conformatio, prauaque compoſitio, quæ dicitur viciata figura partis; & ea propter accidens, non ſubſtantia. Deinde morbus eſto lapis in veſica; morbus hic non eſt ipſe lapis, qui ſubſtantia eſt, & Græcis dicitur ὁ λίθος; at morbus eſt τὸ eſse lapidem in veſica, vel ipſum habere lapidem in veſica; qui morbus Græce dicitur ἡ λιθίασις; vt ex Galeno conſtat; cui lithiaſis non eſt calculus, ſed q calculi morbus, qui eſt effectus calculi: ſecus enim ſi morbus eſſet lapidis ſubſtantia, iam morbus eſſet lapis in manu Chirurgi nihilominus quam in ægri veſica; quia retinet eamdem penitus ſubſtantiam in manu Medici, quam nuper habebat in ægri veſica, vnde fuit integer eductus; at Galeno morbus r eſt τὸ *in veſica lapis*, non autem lapis, qui eſt in veſica; hoc enim ſolum eſt quid præter naturam primo lædens operationes, in quo conſiſtit ratio morbi: & ſane quum omnis morbus ſit quid præter naturam primo lędens operationes; ſubſtantia lapidis abſolute nec præter naturam eſt homini, nec lędit operationes in manu, vel etiam in ore geſtata; immo vero calculus in ore geſtatus correxit olim balbutiem Demoſthenis, ſ vt ait Plutarchus: ſicut ergo ſubſtantia lapidis in ore nõ fuit morbus Oratoris, nec illius viri ſanitas, ſed ſanitatis cauſſa; ſic ſubſtantia lapidis non eſt morbus, licet ſit in veſica; vbi tamen eſt cauſſa morbi: ſed eſt pręter naturam homini τὸ eſse lapidem in ea parte, vbi vel ſoluendo continuum dolores creat acerbos, vel obſtruendo prohibet liberum exitum vrinæ; proindeque morbus eſt τὸ veſicam habere lapidem, ſeu lapidem eſse in veſica: vel potius continui ſolutio, ac obſtructio a lapide producta in veſicæ tunicis, ac orificio; ceterũ horum vnumquodque accidens eſt, etſi lapis ipſe ſubſtantia ſit; norunt enim t Logicæ tyrones, τὸ armatum eſse non ad ſubſtantiam redigi, ſed ad accidentis Prædicamẽtum, quod dicitur Habere; licet arma ſint in genere ſubſtantię; ſciuntque pueri τὸ eſſe in foro non eſse ſubſtantiam, verum de Pręedicamento Vbi; quamuis Plato, qui dicitur eſse in foro, ſubſtantia ſit; non ignorant Chirurgi ſolutionem continui purum putum accidens eſse; neque neſciunt Medici obſtructionem accidens eſse, licet ſubſtantia ſit, quæ ſoluit continuum, & obſtructionem facit; quę omnia prorſus ignorat, aut ſaltem diſſimulat, qui ſubſtanțiam lapidis in veſica morbum eſse contendit: At fortaſſis eum fefellit calculi nomen, quod æquiuoce Latinis denotat tum lapidis ſubſtantiam, quæ Græcis dicitur ὁ λίθος, tum etiam ab ea ſubſtantia partam ægritu-

q de ren. aff. dign. cap. 2.

r de diff. mor. ca. 8.

ſ in Vita Demoſth.

t Præd. c. 6.

ægritudinem in veſica, quæ quidem ægritudo Græcis alio nomine dicitur ὁ λιθίασις: Alioqui ſi lapis ſubſtantia ſit dum morbus eſse dicitur in veſica, is eductus in manu Medici morbi naturam exutus, non amplius erit ſubſtantia; vel non eadem numero ſubſtantia fuerit, quæ nuper fuerat in veſica; quod dicere, eſt ne deſipere, an decipere? Addit, *Medicus igitur ſi interrogetur, quid in humano corpore curare velit, curare ſe velle morbum reſpondebit: ſi autem quid agat conſideras, nihil aliud agit quam cum ſubſtantijs pugnare. Calculoſis calculum extrahit, febre laborantes euacuationibus adiuuat.* Hoc argumentum & docti ſoluere ſciunt, & idiotæ; docti quidem dicentes, a Medico proprie curari calculoſos, febrientes, & alios ægrotantes, eductione cauſſarum, quę quandoque ſubſtantiæ ſunt, quandoque nudę intemperies: idiotas empyricos, vel barbitonſores, qui chirurgiam exercere ſolent leuiorem, audiui ſæpe dicentes, remota cauſa remoueri effectum: quare dum cum ſubſtantijs pugnat Medicus ægros curans, tunc rem habet cum morborum cauſſis, quarum eductione ſcit ſe morbos terminaturum. Adiungit ille, *Ingenioſe & vere* u 1. patho. cap. 3. *Fernelius u morbos omnes in ſubſtantia eſſe conuincit, &c.* Hinc nihilo magis deducet Caſtro morbos omnes eſſe ſubſtantias, quam accidentia ſingula pariter eſſe ſubſtantias; quia veriſſimum eſt accidentia cuncta naturaliter eſſe in ſubſtantia. Non reticet, *Deinde febris morbus eſt vniuerſalis totius corporis*. Erit itaque febris ſubſtantia vniuerſalis totius corporis; non igitur erit idem numero corpus, eademue numero ſubſtantia in ſano, & in febriente Philino. An putat febrim eſſe nouam ſubſtantiam præexiſtenti ſubſtantiæ humanæ ſuperadditam, quæ poſsit ab humana ſubſtantia ſeiungi per curationes medicas? cedo fuerit ne febrilis illa ſubſtantia corporea an te, an incorporea? ſi corporea; quomodo febriens homo non ſit mole maior ſe antea nondum febriente? quum certum ſit, omne corpus adiectu noui corporis adaugeri? attamen videmus e contra febrientes corporis molem amittere, ac miris modis contabeſcere; quomodo præterea ſoluta febri conualeſcens non ſit minori mole corporea, & minori pondere? ſed ſi febrim velit eſſe ſubſtantiam incorpoream; quomodo illam ignem appellauit? an datur ignis incorporeus? quomodo illam nuncupauit ſubſtantiam balſamicā, aut aliam quamlibet accenſam? an phyſice poteſt accendi ſubſtantia incorporea? quomodo præter formam ſubſtantialem in homi-

homine ponet aliam ſubſtantiam incorpoream? Denique, vt alia multa prætereamus hiſce ſimilia, dicit, *Particulas viuentes dicimus eſſe ſubiectum vel inhæſionis, vel ſaltem attributionis omniũ morborum; ita tamen vt morbus ſemper ſubſtantia ſit, & vel inhæſiue, vel attributiue viuentis eſſe dicatur*. Iam qui talia ſcribit, nullum plane accidens in homine ponit; quia quæcumque ſunt in homine, in eo inſunt vt in ſubiecto vel inhæſionis, vel attributionis, figura recta in omnibus, nigror in Aethiope, candor in Anglo, pallor in Ictero, & alia ſexcenta. Subdit. *E.g. Vlcus eſt morbus, cuius ſubiectum inhæſionis eſt pars viuens, & nihil eſt aliud vlcus quam ſubſtantia carnis corruptione affecta.* Hæc aſſerens nec vidit, aut non audit Galenum *x* ſæpiſsime definientem Vlcus eſſe ſolutionem continui in genere carnoſo, ſolutamue vnitatem in parte carnoſa: nec didicit ab Ariſtotele, licet anima, & homo ſubſtantia *y* ſit; iuſtitiam tamen in anima inhærentem, ac in homine exiſtentem, eſſe *z* accidens in abſtracto, nimirum qualitatem; iuſtum vero eſse quale, & accidens in concreto; quum agnoſcere debuiſſet, hominem quidem, ſeu corpus humanum, & in eo Cor, eſſe ſubſtantiam; ſed febrim eſse qualitatem, & accidens in abſtracto; febrientem vero, ſeu febrire, eſſe quale, & accidens in concreto; nihilominus quam album, † quantum, calidũ & ſimilia; Quæ qui non diſcernit; certe prima Logicæ rudimenta reſpuens, Dialecticis conſiderationibus non vult irretiri, & paria cum eo ſentire videtur qui dicere conſueuerat, ſe Dialecticæ minime ſtuduiſſe, quoniam Logica obfuſcat cerebrum: Non ita ſane de febrium natura ſentit Iulius Guaſtauinius, Piſani Lycei iubar clariſſimum; a quo poterat hic homo tantum ſibi luminis comparare, quo palpabiles haſce tenebras a ſua cogitatiua depelleret, ac plane diſcere, Calorem febrilem eſse tum *a* paſſionẽ aut patibilem qualitatem inhærentem in corporea ſubſtantia innati calidi; tum habitum, aut diſpoſitionem Cordis, aut corporis totius, cuius operationes lædit; adeoque ſemper eſse qualitatem, ac in accidentium ſerie collocari; nunquam vere dici poſſe ſubſtantiam: Vt ex his pateat, eum, qui talia dogmata pangit, ſic vtilem eſſe Reipublicæ litterariæ, vt ciuili Reipublicę ille præpinguis a Catone maiore ſugillatus apud Plutarchum his notis, *Vbi tale corpus vtile ſit Reipublicæ, in quo, quod inter gulam & inguina intereſt ſpacij, omne occupat venter?* Ceterum his omiſſis, redeamus ad Aenigmatis explicationem; in qua ſatis oſtendimus,

ad

x de diff. morb. ca. 11.
3. meth. cap. 1.
4. meth. c. 1. & paſſim.
y 2. de an. t. 2.
z Præd. Qual.
† 1. phyſ. t. 62. & Prædic. Qual.
a 2. ſelec. cap. 11.

ad ortum febris, quæ metaphorice Pyronarcha dicitur, calorem natiuum, myſticum Vulcanum, ceu matrem, conferre menſtruum videlicet ipſam Cordis ſubſtantiam. Quod ſi menſtruum à calore natiuo, Vulcano femina, collatum ad generationem febris, quæ morbus eſt vniuerſalis omnium partium, volueris eſſe corpus vniuerſum, non valde repugnabo.

ET ALVVM.

DVbio procul aluus materna locus eſt proprius, in quo fit conceptio, & promouetur infantis generatio: quum autem locus, in quo propriè cōcipitur febris, & in quo primo celebratur noſtræ Pyronarchæ generatio, ſit Cordis cauitas; profectò ſinus Cordis erit velut vterus, in quo primum concipitur, & generatur Pyronarcha. Dicitur autem ſcite cordis ſinus eſſe caloris innati ſixi ceu Vulcani feminę aluus, quoniam eſt locus, in quo generantur ab eodem calore ſpiritus vitales, & ſanguis cum arterioſus, tū etiam venoſus vltimę perfectionis, vt poſt Ariſtotelē *b* ait *c* Auerroes, & *d* Auicennas; quæ tria corpora ſunt proles, ac filij caloris implantati natiui bene ſe habentis. Qua vero ratione ſinus illi cordis (ſunt enim plures) ab *e* Ariſtotele dicuntur *Lares, & focus, quo naturæ fomites, & primordia ignis natiui continentur, & ſeruantur:* atque ab *f* Hippocrate, *fontes humanæ naturæ, vnde flumina ſunt, quibus totum corpus irrigatur:* ita pulcherrima translatione quilibet Cordis ſinus ab Aenigmatiſta dicitur eſſe aluus, quem confert calor innatus, Vulcanus femina, patiens ad febris generationem. Quemadmodum autem humanus vterus vnicam obtinuit cauitatem, quia licet eadem mater plures filios concipere valeat cum ſimul, tum ſeorſim; omnibus illic vnica ſufficit alui cauitas; quippe ſunt omnes eiuſdem ſpeciei; tamen viciſſim quum febris trium ſit generum, non debuit omnis in vnico ſinu Cordis concipi, principiumque ſuæ generationis habere; ſed ſiniſter Cordis ventriculus, in quo fiūt ſpiritus cum arterioſo ſanguine, proprius vterus eſt, in quo concipitur, & generatur febris ephemera, quæ ſpirituum accenſione nititur: Dexter autem ſinus cordis, in quo ſanguis venoſus continetur, atque Ariſtoteli, Auerroi, & Auicennæ vltimum complementum ſuſcipit ad hoc vt omnes corporis partes alere poſſit, eſt vterus, in quo concipitur, & primum gene-

b de reſpir. c. 15. de ſom. & vigil. c. 6.
c 2. collig. cap. 9.
d lib. 1. f. 1. d. 6. c. 1.
e 3. de part. c. 4. 5.
e 3. de par. an. cap. 7.
f lib. de cord.

ratur ea Pyronarcha, quę dicitur febris putrida, nixa ſupercalefactione, putredineque maſſæ ſanguineæ, ſiue humorum in ea contentorum: At vero meatus ac pori, vacuaque ſolidarum cordis partium loca, in quæ a venis capillaribus inſpergitur ros, & attrahitur cambium conceſſurum in alimentum ſubſtantiæ Cordis; & in quibus a natura continetur gluten, quod eſt humidi radicalis corpulentia; hi tertij generis inquam meatus, quos Cor communes habet cum ceteris partibus ſolidis; ſunt aluus propria, in qua concipitur, & generatur febris hectica, quę nititur igne depaſcente vel rorem, vel cambium, vel gluten; quæ tres humiditates in ſolidæ cordis ſubſtantię poris naturalibus continentur.

DISCORDIA VERO SEMEN CONFERENTE.

g Boccat. 1. Gen. eol. Deo. ca. 3.

QVum ſuperius viderimus Diſcordiam, quæ g Poetis naturā maſculeam obtinens primus Demogorgonis filius Litigium nuncupatur, in generatione febris cum Vulcano congrediētem nil aliud eſſe, quam Intemperiem; nunc explicandum eſt, quo modo intemperies in producenda febri fungatur officio maſculi, ſemenque conferat, quod ſit effectiua cauſſa proxima febrium; In primis Intemperies eſt genus, ad quod febris refertur veluti ſpecies, Medicorum omnium recte ſentientium conſenſu; ſtatuunt enim vnanimes febrim eſſe ſpeciem Intemperiei: ſed genus vnumquodque ſeſe habere ad ſuas ſpecies, vt earum omnium principium, & earum ſingularum patrem ac maſculum genitorē, aperte nos docuit Porphyrius inquiens, h *Dicitur autem & aliter genus, quod eſt vniuſcuiuſque generationis principiū; vel ab eo, qui genuit, vel ab eo loco, in quo quis genitus eſt: Sic enim Oreſten quidem dicimus a Tantalo habere genus; Hylum autem ab Hercule: & rurſum Pindarum quidem Thebanum eſſe genere, Platonem vero Athenienſem: etenim Patria principium eſt vniuſcuiuſque generationis, quemadmodum & Pater: Hæc autem videtur promptiſſima eſſe ſignificatio: Romani enim dicuntur, qui ex generatione deſcendunt Romuli; & Cecropidæ, qui a Cecrope, & horum proximi: & prius quidem appellatum eſt genus vniuſcuiuſque generationis principium; dehinc etiam multitudo eorum, qui ſunt ab vno principio, vt a Romulo, quam diuidentes, & ab alijs ſeparantes dicebamus omnem illam collectionem Romanorum genus. Aliter autem rurſus genus dicitur,*

h cap. de Gen.

cui

qui ſupponitur ſpecies ; ad horum fortaſſe ſimilitudinem dictum: etenim principium quoddam eſt huiuſmodi genus earum, quæ ſub ipſo ſunt ſpecierum: non quidem principium vt patria, ſeu locus, in quo quis genitus eſt; ſed principium vt pater, a quo quis generatur, & dependet velut a cauſſa efficiente. Sic igitur intemperies generatim, quæ Diſcordia nuncupatur in gripho, recte ſtatuitur Pater generans Pyronarcham, quæ ſpecies eſt quædam intemperiei, ac proprio nomine febris appellatur. Deinde vero, quemadmodum homo hominem generat *i* Ariſtoteli, quia pater homo *i 2. phyſ. t. 26.* eſt cauſſa efficiens filium hominem; ſic vna intemperies, quæ Diſcordia dicitur, aliam intemperiem, quam febrim appellamus, ceu pater filiam generare poteſt, atque ad illius generationem conferre ſemen prolificum; ſiquidem homo pater generat ſemen humanum prolificum; quod ſemen mox agens in menſtrua matris, generat immediate hominem filium: ita in generatione Pyronarchæ Diſcordia, hoc eſt intemperies elementorum in miſto viuente, ſeu in humano corpore generat intemperatos ſpiritus, & humores, intemperataſque ſecundas humiditates ; ſeu generat conſimilem ſuæ intemperiem in ſpiritibus, & humoribus, humiditatibuſque ſecundis: quæ quidem intemperies genita, ſeu qui ſpiritus intemperati, humores intemperati, ſecundæque humiditates intemperatæ, tamquam ſemen a prima illa intemperie primorum elementorum profluxum, immediate generant ſimilem ſuæ tertiam intemperiem in ſubſtantia cordis; quæ Cordis intemperies eſt Pyronarcha, ſeu febris; ephemera quidē, ſi naſcatur ab intemperie ſpirituum; putrida vero, ſi ortum habeat ab intemperatis humoribus; hectica demum, ſi trahat originem immediate ab intemperie roris, cambij vel glutinis, quæ ſunt ſecundæ humiditates in cordis ſubſtantiam permeantibus poris incluſæ. Ceterum intemperies elementorum in miſto viuēte, adeoque caloris, ac ſiccitatis, aliarumve primarum qualitatū exceſſus in humano corpore, nomine Diſcordię nuncupatos, eſſe cauſſam remotam, ſeu mediatā ægritudinum, adeoque patrem myſticæ Pyronarchæ, quæ febris eſt; aperte docuit Ariſtoteles inquiens; *K* *Quamobrem noſſe oportet, quemadmodum rerum naturalium conſtitutarum partim calidæ, partim frigidæ, et aliæ ſiccæ, aliæ humidæ dici debent; nam vitæ quoque, & mortis cauſſas hæc habere; atque etiam ſomni, & vigiliæ, iuuentutis, & ſenectutis, & morbi, & ſanitatis; non aſperitatem, aut lenitatem; non grauitatem, aut leuitatem, nihil fere tale aptum eſ-* *K 2. de part. an, cap. 1.*

ſe videtur; & recte quidem; ſunt enim hæc, vt alio loco expoſuimus,
initia elementorum naturalium, calidum dico, frigidum, ſiccum, hu-
l de nat. *midum.* Quam ſententiam multo prius habuit l Hippocrates,
hum. t. 5. inquiens, *Nos vero enuntiamus, ſi vnum tantum elementum exti-*
tiſſet homo, nullo vnquam tempore dolere potuiſſet; neque enim eſſet
a quo dolore afficeretur, ſi quidem vnum eſſet: Quinimmo, ſi dolebit,
neceſſum eſt & vnicam eſſe medelam. m *Nunc autem multa: in corpore*
m tex. 6. *enim ſunt multa, quæ morbos creant, ſi quando mutuo præter naturam*
calefiant, & refrigerentur, ſiccenturque, atque humeſcat, Quamobrem
multæ quidem ſunt ſpecies morborum, & ipſorum ſanationes multæ.
n t. 13. ac mox, n *Neceſſum igitur, quum talis ſit natura omnium aliorum,*
tum vero hominis, hominem non eſſe vnum; ſed vnumquodque eorum,
quæ ad generationem conferunt, vim quamdam in corpore habere,
quam ſane contulerunt. o *Rurſumque neceſſum eſt, hominis corpo-*
o t. 14. *re intereunte, ſecedere ad ſuam ipſius naturam unumquodque, & hu-*
midum ad humidum, & ſiccum ad ſiccum, & calidum ad calidum, et
p t. 15. *frigidum ad frigidum,* p *Talis autem eſt natura tum animalium, tum*
omnium aliorum. q *Et omnia eodem modo generantur, & pereunt*
q t. 16. *omnia eodem modo.* r *Natura enim ipſorum conſtat ex his omnibus*
r in 1. de *iam dictis, & in idem, ſicuti dictum eſt, finem habent: unde enim con-*
nat. hu. *ſtitit unumquodque, in id etiam abit.* Quod & Galenus hæc decla-
com. 6. rans conteſtatur ita, *Narrauit autem Hippocrates in hac nobis pro-*
poſita oratione ea, quæ oſtenſurus eſt prima eſſe, a quibus cetera om-
nia generantur; hæc autem ſunt, calidum, & frigidum, & ſiccum, hu-
midumque; quæ quum inuicem debita menſura commiſceantur, animal
ſanum degit: Verum, quum ſeſe mutuo calefecerint, frigefecerint, &
ſiccauerint, atque humectarint, natura idonea ſunt ut dolores creent,
ſ com. t. 16. & morbos alios, adeoque febres. Et mox ſ *Hippocrates inquit,*
omnia, non hominem ſolum eodem modo generari, atque interire,
ſcilicet, ut dictum eſt, ex quatuor elementis, non ex iis, quæ in cor-
pore ſunt, partibus calidis, uel frigidis, humidis, uel ſiccis: Verũ
aliqui ſunt adeo ignari græcæ lectionis, ut putent calidum & frigidũ
humidum & ſiccum ſenſibus percepta, eſſe generationis corporum
omnium communia elementa; quum elementa in miſto ſenſibus
non percipiantur. t *A dogmate non recedit, uolens omnium natu-*
t com. t. 17. *ram conſtare ex iam dictis elementis, & deſinere in ipſa: unde enim*
conſtat, inquit, unumquodque eorum, quæ ſunt, eo etiam abit, ſcili-
cet in communia mundi elementa, terram aquam aerem & ignem.
Ceterum horum elementorum exuperantias in humano corpo-

re

re ponunt Hippocrates, Ariſtoteles, & Galenus morborum, fe-
brium que cauſſas effectrices mediatas; adeoque inter illas habe-
ri Diſcordiam, quæ pater eſt Pyronarchæ, quæ febris eſt: Præter
eas autem, conſimiles ipſis exuperantias agnoſcunt in humori-
bus eſſe cauſſas effectrices ægritudinum proximas & immediatas;
adeoque ſemini proportione reſpondentes, ex quo generatur
animans immediate: Porro de his agit Hippocrates illico ſub-
dens, *u Hominis autem corpus in ſeipſo ſanguinem habet, & pituitã,* u tex. 18.
& duplicem bilem, flauam & nigram: & hæc quidem ſunt natura x tex. 19
corporis ipſius, & ob hæc dolet, & ſanus degit: x Sanus igitur ma-
xime degit, quum hæc mediocriter ſe habent penes mutuum, facilta-
temque, copiamque, atque ſi maxime ſint miſta: y Dolet autem, quũ y tex. 20.
horum aliquod vel minus, vel amplius euadat, vel in corpore ſece-
dat, atque non omnibus ſit attemperatum. Ad quorum explicatio
nem Galenus infit. *z Apud omnes Medicos ac Philoſophos, qui* z 1. com t.
integre ſunt dogmatici, elementorum commenſuratio ſanitatem facit. 19.
& mox. *Secunda autem inquit nos potiri ſanitatẽ ex commoda tem-*
perie elementorum: cuius videlicet opinionis Hippocrates dux eſt.
& paullo poſt. *a Quemadmodum in ſanitate exactam moderatio-* a com. t.
nem ſtatuebat in quantitate, & facultate, & in temperatura per 20.
tota; ad eumdem modum in morbo horum contraria ponit, redigens
quidem minus uel amplius ad ſubſtantiæ quantitatem ac uim; non
omnibus autem temperari, ad prauam uel inæqualem temperaturã,
vel quomodo quiuis velit appellare. Ariſtoteles item ait, *b* Exupe- b 1. probl.
rantias nimias habere vim generandi morbum; quia vel exceſſũ 1.
vel defectum efficiant; in quibus conſiſtit natura morbi: nimi-
rum intemperies, primarum qualitatum elementarium exceſſi-
bus nixas, habere vim procreandi morbos, non immediate, ſed
generando intemperiem in humoribus, quæ illorum exceſſu,
vel defectu nixa, morbum procreat immediate. Vt Diſcordia,
quæ noſtro Ænigmatiſtæ febrem, ſub nomine Pyronarchæ ge-
nerat, nihil aliud ſit, quam intemperies elementorũ; ſeu
quatuor primarum qualitatum in humano corpore; ſemen ve-
ro, quod ad Pyronarchę, febriſque generationem confert hęc Di-
ſcordia, ſit humorum, ſpirituumue, aut ſecundarum humidi-
tatum intemperies, ab illa elementorum proueniens. Quare Di-
ſcordia, quę eſt elementorum in homine, qua miſtum viuens eſt,
intemperies, ob exceſſum caloris & ſiccitatis, generat vel ſpiri-
tus nimium æſtuantes, eoſque tamquam ſuum ſemen confert ad

generationem febris ephemeræ; nã æſtuantes illi ſpiritus inflammando cordis ſubſtantiam producunt Pyronarcham Diariam; vel Diſcordia, quæ primarum qualitatum in elementis intemperies eſt, feruefacit humores; illoſque ceu ſemen effundit in Cor, vbi calorem natiuum pluſquam nimium accendentes, generationem promouent Pyronarchæ putridæ: vel demum eadem Diſcordia, quam Intemperiem primorum elementorum in humano corpore dicimus, æſtuare facit ſecundas humiditates Cordis; quæ Cordis ſubſtantiam accendentes, ceu ſemen a Diſcordia defluxum, moliuntur generationem hecticæ Pyronarchæ. Cordis enim ſubſtantia febrilem intemperiem contrahere poteſt immediate tum a ſpiritibus feruidis, tum ab humoribus ęſtuantibus, tum a ſecundis humiditatibus intemperatis; vt fuſe nos docuit ante [c] Auicennam [d] Galenus, licet cum aliquo diſcrimine, ſuis in doctiſſimis Annotationibus Auicennicis obſeruato ab inclyto pręceptore meo Ioanne Coſtæo.

c lib. 4. f. 1. tr. 3. cap. 1.
d 1. de diff. feb. cap. 9. 10. meth. cap. vlt.

HISQVE NON AMORE, SED INDIGNATIONE AD CONGRESSVM COMPVLSIS.

HActenus Aenigmatiſta cauſſas omnes materiales, & effectrices tum mediatas, tum immediatas attulit, internas tamen humano corpori, quibus in eo generatur febris; nunc etiam admirabilem modum affert, quo tales cauſſæ ſimul conueniunt ad huius euentus productionem; aitque cauſſas effectrices, ac materiales ad febrim generandam concurrere, non in morem cauſſarum aliarum fere omnium, ductas appetitu naturali, quo materies gliſcit ſeſe cauſſæ agenti ſubijcere, a qua ſibi formam, ſui perfectionem, comparet; & efficiens appetit materiei copulari, ex qua generet quid ſibi ſimile; cuius beneficio perpetuetur in ſpecie: ſed ira, & indignatione Diſcordia, & Vulcanus compelluntur ad congreſſum, ex quo naſcitur Pyronarcha. Profecto Vulcanus, qui eſt calor naturalis, cum Diſcordia, quæ dicta eſt eſſe intemperies elementorum in humano corpore, quatenus eſt miſtum viuens, non amore ductus congreditur ad generationem Pyronarchæ: ſimiliter intemperies illa non amore congreditur cum calore natiuo: ſed vtrumque horum cum altero compellitur ad congreſſum ab indignatione, multiplicem ob cauſſam: vna quidem eſt, quia calor natiuus, qua calor eſt, immo qua calor innatus eſt,

eſt,eſt qualitas *e* actiua;qualitas autẽ actiua non appetit naturaliter,adeoq; e non amat congredi cum eo,a quo patitur: nec appetit ſubire vices principij paſſiui; quas non ſubit vnquam niſi coacta, & inuita. Altera vero eſt, quia calor naturalis,qua naturalis eſt,contrarius eſt intemperiei;quę eſt quid præternaturã: modo non appetunt in vnum congredi amore ducta,quę contraria ſunt;ſed indignatione ſemper compelluntur ad congreſſum; quia mutuo ſeſe deſtruere *f* tentant,ſataguntque: Ac reuera calor naturalis vt omnem morbificam diſpoſitionem natura ſua deſtruere nunquam non conatur;adeoque intemperiem omnẽ, ſiue morbus ea ſit,ſiue morbi cauſſa,depellere ſtudet, quo nomine ſapienter aſſeruit Hippocrates, *g* Naturas eſſe morborũ medicatrices;quos certũ eſt,medicatione tolli non poſſe,non ſublatis,& corruptis eorum cauſſis:ita viciſſim omnis intemperies adeo calori natiuo infenſa eſt,vt cũ eo non iungatur niſi pugnatura in eius perniciẽ;eamque adoriatur hoſtis,non amica.Quare calor naturalis,& Intemperies, ex quorum congreſſu febris enaſcitur, adeoque Vulcanus,& Diſcordia,ex quorum congreſsu generatur Pyronarcha,non amore ducuntur ad congreſsum maritalem,ſed indignatione compellũtur ad congreſſum martialem:In quo quidem congreſſu, vel potius conflictu,a calore natiuo inuito & ingratijs ſubſtantia cordis exhibetur in materiam ſiue ſubiectum naſcituræ febris;& cauitas omnis eiuſdem viſceris ab eodem calore confertur in aluum febri concipiendæ formandæque neceſſariam: ſpiritus autem, vel humores, vel ſecundæ humiditates præternaturam æſtuantes ab intemperie primorum elementorũ veluti ſemen cordi iunguntur indignabundæ,ac febrem generãt, dum necem procreare vellent, morbumque producunt, dum mortem gignere geſtiunt. Quo nomine ſapienter in ſuo gripho noſter Autor infit, Pyronarcham,quæ febris eſt, genitam eſse ex Vulcano,quem nouimus eſse calorem naturalem; & Diſcordia, quæ nihil aliud eſt, quam Intemperies elementorum in miſto viuente; his duobus non amore ad eam procreandam coniunctis, ſed indignatione ad eum congreſſum compulſis,quo ſe ſe mutuo deſtruere conabantur.

e 4. meteo. ſu. 1. ca. 1. 2. de an. t. 41. & 30.

f 1. phyſ. t. 81.

g 6. epide. ſect. 5.

QVANDOCVMQVE AVTEM.

EXplicatis cauſſis omnibus internis,& modo quo concurrunt ad procreãdam febrim;quæ omnia in prioribus griphi ſen-

tentrx

tentijs incluſa mirabiliter deliteſcebant: par eſt vt nũc poſteriores ænigmatis partes interpretemur; in quibus Aenigmatiſta concluſit mirabili breuitate, ac artificio, tum tempus, quo gigni febris conſueuit; tum cauſſas externas, & remotas; tum ſubiectum cõmune, ſiue adæquatum febris; tum denique ſupremas febrium differentias. Et ſane tempus aptum gignendæ febri deſignat illa particula *Quandocumque*, per quam ſignificatur omne tempus abſolute, ſiue tempus indeterminatum; quia febris nullum omnino ſibi determinat certum tempus; at indifferenter oriri poteſt omni tempore, ſimpliciter inuadere poteſt homines quocumque tempore ſine delectu, verno, æſtiuo, autumnali, hiemali; noctu, diuque; ad eorum morborum differentiam, qui vt plurimum ſibi præſtituere videntur certum aliquod anni tempus: etenim etſi, *h* Celſi teſtimonio, in omni anni tempore, in omni tempeſtatum genere, omnis ætatis, omnis habitus hominum per omnia genera morborum & ægrotant & moriuntur; frequentius tamen quędam morbi genera certis ac ſtatutis temporibus eueniunt; quod & *i* Hippocrates, & *K* Galenus conteſtantur, aſſerentes aliquos eſse morbos æſtatis proprios, & alios aliorum temporũ; & Celſus ait, *l* veris eſse proprios affectus, lippitudines, puſtulas, profuſionem ſanguinis, abſceſsus corporis, melancholiam, inſaniam, morbum comitialem, anginam, grauedines, deſtillationes, & articulorum morbos; Aeſtatis proprios eſse vomitus, alui deiectiones, auricularum dolores, oris vlcera, cancros, maxime in obſcœnis partibus; Autumnales eſſe dicit affectiones, lienis dolorem, aquam intercutem, tabem, vrinæ difficultatem, iliacam paſſionem, lienteriam, & coxę dolores. Hiemis morbi proprij dicuntur ab eodem Celſo, capitis dolores, tuſses, faucium, laterumque, & viſcerum omnia mala. Quę omnia deſumpſit Celſus ab Hippocrate in libro de Natura Humana. Sed febris nullo non tempore gignitur in humano corpore, ac indifferenter tam ęſtate, quam autumno, & hieme, ac vere.

h lib. 1. procem.

i 3. aph. 4. 1. de nat. hu. t. 34.

K 3. epid. com. 3. in f. & lib. de ſperm.

l lib. 2. ca. 1.

IVPITER PYRONARCHAM MITTIT.

HIc attingit Aenigmatiſta febriũ cauſſas effectrices externas remotas; quin & aliqua ex parte finalẽ. Et quidem *m* Celſus ex *n* Homero ſcribẽs morbos ad iram Deorum immortalium relatos eſſe, huic ſententiæ mirifice ſuffragatur; qua Deus conſtituitur

m lib. 1. procem.

n 1. Iliad.

tuitur cauſsa efficiens febris; quin & cauſsa finalis, o cui febris deſeruit vt inſtrumentum ad puniendos improbos; ita legimus in ſacra pagina Deum olim peſtilentiam, quę febris eſt, immiſiſse in Iſrael, p *Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſrael, de mane vſque ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt ex populo a Dan vſque Berſabea ſeptuaginta millia virorum*. Et apud q Prophetam habemus, non eſse malum in ciuitatè quod non faciat Dominus. & alibi, r *Ego Dominus, & non alter, formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc*. Vbi diuus Gregorius, & Gloſſa, per tenebras, & malum intelligunt pęnas, & dolorem; febris autem eſt in malorum cenſu de generem pœnarum. Sed & ſ Heſiodus cecinit Iouem, vt vlciſceretur furtum Promethei miſiſse ad mortales Pandoram cum vaſe omnia mala intus continente, quo recluſo volauerunt ad homines cuncta morborum genera, ſpeciatimque febres, vt ait t Horatius: hoc apologo ſignificantes, Deum eſse cauſsam effectricē remotam febris; & cauſſam finalem, cui febris deſeruit veluti flagellum ad ſontes puniendos. Sed alio ſenſu hanc eamdem Aenigmatiſtę ſententiam nobis propoſuit Hippocrates, quando ſcripſit, Oportere u Medicum agnoſcere, ſi quid in morbis Diuinum habetur. Id autem diuinum alibi x monet eſſe cauſsas externas, & potiſſimum aerem ambientem, quem Poetæ frequenter appellant nomine Iouis, vt mox apparebit, inquiens, *Hic vero morbus ſacer appellatus, ex ijſdem cauſſis oritur, a quibus etiam reliqui; ab accedentibus nimirum, ac recedentibus, velut frigore, Sole, ventis, quæ & tranſmutātur, & nunquam quieſcunt: hæc autem ſunt diuina: Quare nequaquam hunc morbum ab alijs diſcriminare oportet, neque reliquis morbis diuiniorem putare: ſed omnes diuinos, omneſque humanos*. Omnes inquit diuinos, quia omnes morbi ortum ducunt ab aliqua cauſsa externa ex propoſitis; quod & ipſemet Hippocrates alibi y profeſsus eſt, diuidens omnes morbos in duas claſses, quorum alios ait prouenire a victus genere, alios ab aere, quem appellat ſpiritum reſpiratione attractum; *Morbi*, ait, *partim ex diætis, partim ex ſpiritu quem uiuendo trahimus, proueniunt*. & Ariſtoteles etiam inquit, z *Cibus enim ſuauis exiſtens, & ſiccus, & humidus ſæpe morboſus eſt*. & quum Græce legamus, ἡ μὲν γὰρ τροφὴ ἡδεῖα οὖσα καὶ ἡ ξηρὰ καὶ ἡ ὑγρὰ, πολλάκις νοσώδης ἐστίν. non bene vertitur a vulgata Cibus, ſed nutrimentum, ſeu alimentum verti debuit, ita, *Nutrimentum enim ſuaue exi-*

o 2. phyſ. t. 24. 2. de an. t. 35.
p 2 Reg. cap. 24.
q Amos. 3.
r Iſai. 45.
ſ 1 operib.
t lib. 1. O. de ſ.
u 1. progn.
x lib. de morb. ſac. in f.
y 1. de nat. hom.
z de ſenſ. & ſenſ. ca. 5.

exiſtens, & ſiccum, & humidum, ſæpe morboſum eſt. nam omne nu-
trimentum diuidit in cibum, & potum; quorum illum ait eſse
nutrimentum ſiccum; hunc autem nutrimentum humidum; ijs
a 2. de an. c. 28. conſentiens, quæ dixerat alibi, *a* famem eſse concupiſcentiam
alimenti calidi & ſicci, ſitim eſſe concupiſcentiam alimenti
frigidi & humidi. Porro nutrimentum ſuauis odoris morbos
facile procreat, quod vapores multos gignit, cerebrum alte-
rantes non mediocriter, indeque fluxiones promonentes; quæ
plurimorum ſunt morborum cauſsæ; vt paulo antea monuerat
Ariſtoteles. Aſt ad Hippocratem redeamus; qui vt omnes mor-
bos recte diuinos appellauit, quod ab aliqua cauſsa externa pro-
uenerint; quam ideo diuinam appellat, quod antiqui nomine Io-
uis ambientem, in quo ſunt omnia nobis occurſantia, nuncupa-
bant: ita recte morbos omnes appellat humanos, quia omnes in-
ſunt in humano corpore, tamquam in proprio ſubiecto: Quoniã
vero cauſſæ illę exteriores, diuini nomine nuncupatę, quandoque
morbum non ſolum procreant, ſed etiam procreatum fouent;
quandoque autem generant morbum, ſed eo genito deficiunt; ſi
quidem perſeuerent ac morbum foueant, dicuntur in morbo eſ-
b 4. Phyſ. 23. ſe, vt cauſſa in effectu; (qui modus Hippocraticus eſsendi in alio,
adijciendus eſt *b* Ariſtotelicis;) ac tunc a Medico ſunt remo-
uendæ; proindeque recte monet Hippocrates, Medico agnoſcen-
dum eſse ſi aliquid Diuinum inſit in morbis; ſin autem non per-
ſeuerent fouentes morbum; tunc Medici opera non indigent vl-
la. Ceterum quia tales cauſsæ, Diuinæ nuncupatæ, referuntur
c in 1. progn. com. 4. omnes commode ad naturam ambientis, vt conſtat ex *c* Galeno,
adeoque ad aerem: quum aer a Poetis etiam Iouis nomine ſigni-
d lib. de nat. Deor. ficetur; qood apparet tum ex *d* Phornuto, cui Iouis nomine ve-
teres intellexerunt aerem, qui per pluuias vitali humore terram
irrigat; quem propterea nubicogum, & fulminatorem, ac pluuiũ
e lib. 1. Ode 1. appellant; tum ex Horatio, *e* cui

. . . . iacet ſub Ioue frigido
Venator teneræ coniugis immemor.

f lib. 1. Ode 22. & *f* alibi,

Quod latus mundi nebulæ, malusque
Iupiter vrget

g Eclog. 7. tum ex *g* Virgilio, apud quem

Iupiter & læto deſcendet plurimus imbri.

h 1. Georg. & alio in *h* loco,

Verum vbi tempeſtas, & cæli mobilis humor
Mutauere vias; & Iupiter humidus auſtris
Denſet, erant quæ rara modo; & quæ denſa, relaxat. i 1.Georg.

& inferius,

Et iam maturis metuendus Iupiter vuis.

tum ex Theocrito, *K* cui *K* ed.4.

Iupiter & quandoque pluit, quandoque ſerenus.

Stoici quoque Iouem dixerunt Aera, quod hic aer per omnia penetraret; & idcirco dicebant, Iouis omnia plena. Quum itaque febris primam ſui cauſſam, quę procatartica, & antecedens cognominatur, referat in ambientis vim, atque adeo in aeris intemperiem; quum aer paſſim ab Antiquis velaretur nomine Iouis; belle ſignificaturus id Aenigmatiſta noſter in gripho, dixit, a Ioue mitti Pyronarcham.

IN MVNDVM.

HIc attingit Aenigmatis autor ſubiectum commune, ſiue adæquatum febris; mundi nomine ſignificans Hominem, qui myſticus mundus, paruus mundus, & mundi exemplar, a Philoſophis paſſim appellatur, ob miram Mundi & Hominis analogiam; cui nos peculiare volumen elaborauimus, ac dedicauimus, propediem inuulgandum. Non tamen abnuam mundi vocabulo ſignificari potuiſſe nunc in Scrupo naturam animalis generatim; quod & febres non hominem ſolum corripiant, ſed etiam animalia bruta: Sane mundum paruum ad magni collationem appellauit Ariſtoteles, *l* non hominem ſolùm, ad brutorum diſcrimen, vt vulgo creditur; ſed vniuerſam animalium naturam, ſiue animal generatim: ait enim citatis verbis, *Animal autem ipſum dicimus ſeipſum mouere: quare, ſi quieſcit aliquando penitus, in immobili motus vtique fiet a ſeipſo, & non ab externo. Si autem in animali hoc poſſibile eſt fieri; quid probibet idem hoc accidere & in vniuerſo? ſi enim in paruo mundo fit, & in magno.* Bruta vero febribus etiam conflictari, conſtat non ſolum ex *m* Valeriano, ſcribente de Leone, *Sunt præterea oſſa illa dura adeo, vt ex colliſis ignis veluti ex ſilice excutiatur: Hinc animal eſt maxime febri obnoxium: Febrem vero nihil aliud eſſe, quam ſuperantem totius corporis calorem, Medicorum omnium conſenſu manifeſtum eſt. Febri denique nomen ab igne Græcum πυρετὸς, a feruore Latinum eſt: quo morbo Leones toto vitæ tempore cruciari feruntur; eaque de cauſſa Lucretius triſte Leonum*

l 8.phyſ.c. 17.

m 1.Hieroglyph.

O ſemi-

ſeminium appellauit. Nos autem Leones accipimus frequenter febrire, non autem indeſinenter tota vita febrire. Licet Magnus Albertus [n] afferat, falſum eſſe, Leonem quaſi continue laborare quartana febri; quia natura non generat vllum animal niſi habeat æqualitatem complexionis ſuæ ſpeciei debitam: & in illa eſt ſanum, ait ipſe. Attamen verum eſt, naturalem Leonis temperaturam maxime vergere ad exceſſum caloris; talia vero corpora, vtpote ad bilem aduſtam gignendam maxime propēſa; potiſſimumque voracia, & ingluuioſa, cuiuſmodi eſt Leo; facillime, ac diu febri torquentur, eaque quartana ex atra bile corripiuntur. Sed & febre [o] peſtilenti facilius laborare animalia bruta quam homines, ſi peſtis ea naſcatur ex aeris infectione, conteſtantur Homerus, Thucidides, & Lucretius: Homerus quidem [p] inquiens de peſte Græcorum exercitum affligente,

[n] 22. de anim. tr. 2. cap. 1.

[o] Gal. 1. de diff. feb. c. 3.

[p] 1. Iliad.

Mulos quidem primum inuaſit, & canes veloces,
Sed poſtea in ipſos Danaos ſagittam mortiferam immittens
Iecit: ſemper autem pyræ mortuorum incendebantur frequentes:

Thucidides autem ſcribens, [q] *Aues enim, & quadrupedes quæ carnem humanam tangunt, quum multa corpora iacerent inſepulta, aut ad ea non accedebant; aut ſi guſtarant, interibant.* & mox. *Canes autem propter contubernij & victus ſocietatem ſenſum mali ingruentis magis præbebant.* Lucretius vero [r] concinens,

[q] 2. bell. Pelop.

[r] lib. 6.

Conſimili ratione venit bubus quoque ſæpe
Peſtilitas, etiam pecubus balantibus ægror.
Multaque humi quum inhumata iacerent corpora ſupra
Corporibus; tamen alituum genus, atque ferarum
Aut procul abſiliebat, vt acrem exiret odorem;
Aut, vbi guſtarat, languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temere illis ſedibus vlla
Comparebat auis, nec noctibus ſecla ferarum
Exibat ſiluis; languebant pleraque morbo,
Et moriebantur; cum primis fida canum vis
Strata vijs animam ponebat in omnibus ægram.
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.

Vt iam nemini dubium ſit, febrim eſſe morbum communem hominibus & feris; adeoque noſtrum Aenigmatiſtam, cui Iupiter Pyronarcham mittit in mūdum, mundi nomine ſignificare potuiſſe cum ſ Ariſtotele animal generatim. Ceterum quia Medici, ad Veterinariorum differentiam, qui brutorum morbis medentur;

& ad Philoſophorum diſcrimen, qui morbi ſanitatiſque naturam conſiderant *t* in animali generatim, ſolos morbos † humanos conſiderent, & curare ſatagant; quo nomine ſuperius Hippocrates Medicus agens *u* dicere potuit; omnes morbos eſſe humanos; Medici ſiquidem determinant ſibi pro ſuæ Artis ſubiecto corpus humanum. Profecto ſi noſter Aenigmatiſta ſcripſit hunc griphum de febri tamquam Philoſophus, agēs de Pyronarcha, quam Iupiter mittit in mundum, mundi nomine ſignificauit vniuerſam animalium naturam, quę Phyſiologis eſt adęquatum febris obiectū: Sin autem Autor hic ænigma de febri condidit vt Medicus, mundi vocabulo nobis indicauit Hominem, vt eſt quid a bruto contradiſtinctum; nam ex *x* Ariſtotelis decreto, termini ſunt in peculiari qualibet facultate ſumendi coarctati ad illius Artis, aut ſcientiæ proprium ſubiectum, non autem in ampliſſima ſignificatione, qua excedant propoſiti materiam.

t Ariſt. de ſanit. & morb.
† Eccleſiaſtic. 38.
u lib. de mor. ſacr.
x 1. poſt. c. 50.

VEL INCENDIT.

INcipit hic ponere noſter Autor cauſſas finales, & ſupremas febrium differentias; cauſſæ finales ſunt, quia Deus immittit in homines febrem in pœnam delictorum; vt vidimus paullo antea e ſacra pagina non *y* vno in loco; quo ſenſu quoque legimus apud Iudit, de peccatoribus loquentem a Domino puniendis, *z* *Dominus enim omnipotens vindicauit in eis; in die iudicij uiſitauit illos: dabit enim ignem, & uermes in carnes eorum, ut urantur: & ſentiant in ſempiternum*. Vt enim Dominus ob peccatum Dauid, qui populum numerare voluit; & ob peccatum populi conſentientis, & non repugnantis Regi malis artibus innocentem Vriam interficienti, peſtilentem febrim ſæuiſſimam immiſit in Iſrael: ita frequenter in carnes peccantium immittit febrim putridam; quam ignem, & vermes dicere poſſumus. Ceterum differentiæ febrium ſupremæ nunc attinguntur ab Aenigmatiſta: quum enim febris ſit calor igneus; certe dum talem Pyronarcham mittit in corpus humanum Iupiter, is ea ipſum incendit, ac ſupercalefacit vltra naturæ modum: huiuſmodi autem incendium humano corpori prouenit ab omni febre, quæcumque ſit illa, ſiue diaria, ſiue putrida, ſiue hectica; id tamen cum aliquo diſcrimine; nam ephemeræ febris inteuſior ſenſui calor eſt, quam hecticæ; & putridæ calor adhuc ardentior eſt, quam ephemeræ; quia putridæ calor nititur ſubſtan-

y 2. Reg. 24.
Amos. 3.
Iſai. 45.
z cap. 16.

tia craſſiori ac denſiori humorum; calor autem in ſubiecto denſiori eſt actuoſior in ſenſum tactus; hecticæ vero calor nititur ſecundis illis humiditatibus, quę nihil, aut parum admodum euaporant; quare licet abſumat partium ſolidarum ſubſtantiam, vapores non habens, quibus Medici manus feriat, vix tactu percipitur: Diarię calor tenuibus ſpirituum halitibus nixus ferit quidem tangentis manus, at facile diſſoluitur; cuiuſque tamen febris calor ad natiuum calorem comparatus, qui mitis eſt, & corporis ſubſtantiam fouet, igneus eſt, ac incendium dicitur. Nuncupatur autem aptiſſime calor omnium febrium incendij nomine, non quidem quia tactui ſemper ſit acer & vehemens; nam aliquæ febres adeo leni calore nituntur, vt plerumque Medici tactum ſubterfugiant; ita Galenus febrem hecticam nullam eſſe *a* magnam ait; eſſeque ſolum inter febres *b* inſenſibilem ipſi etiam ægrotanti: eſſeque *c* debilem: at ideo dicitur omnium febrium calor igneus, & *d* inflammatio, & incendium, quia conſumit humidum radicale, depaſciturque ſubſtantiam corporis humani; quam calor natiuus aſſidue fouet, atque conſeruat, vt animæ inſtrumentum, vitæque principium *e* ſecundarium.

a 3. de præſ. ex pulſ.
b de inæq. int. cap. 6.
c 2. progn. com. t. 59. 1. de diff. febr. cap 9.
d Auic. 4 can. cap. 1.
e 2. de an. t. 41. 50.

VEL ETIAM TREMEFACIT.

APte diſtinctione coniunctioneque noſter Autor hic vtitur; quia febrium aliæ tantum incendunt, non etiam tremefaciunt; cuiuſmodi ſunt omnes ephemeræ, omnes hecticę, ac omnes putridæ continuæ; aliæ vero non ſolum incendunt abſumentes humidum ſubſtantificum, & plerumque gignentes æſtum intenſiorem in corpore; ſed etiam tremefaciunt, aduehentes in acceſſionum ſuarum initio vel frigus, vel horrorem, vel rigorem; quibus febrientium corpora tremore concutiuntur: cuiuſmodi ſunt febrium putridarum omnes intermittentes, in quotidianas, tertianas, & quartanas a Galeno *f* diſtributæ; cui tertianam *g* rigore inuadit, quotidiana cum *h* horrore, quartana cum vehementi *i* frigore: Quum etenim febres intermittentes oriuntur omnes ab humoribus *K* extra venas putreſcentibus; in principio ſuarum acceſſionum frigus, vel horrorem, vel rigorem promouere poſſunt, vnde membra tremore concutiantur, duplici ratione; vna quidem eſt, quia dum a foco putredinis attolluntur halitus putridi ad Cor, in quo febrem accenſuri ſunt, neceſſario feruntur

f 2. de diff. febr. ca. 2.
g 2. de diff. febr. cap 3.
h 2. de diff. feb. cap. 4.
i 2. de diff. febr. ca. 5.
K 2 de diff. febr. cap. 1.

per muſculos ac partes ſentientes; quæ vaporibus illis ob putredinem acribus,ac mordacibus vellicatæ ac irritatæ,ſtatim ad eorum expulſionem inſurgunt; illeque motus partium, quo putridos vapores illos a ſe conantur excutere, rigor eſt, vel horror, vel frigus cum tremore in principio cuiuſuis acceſſionis: Vbi vero in Cor, & intra venas & arterias irrepſerint illi putridi vapores, non promouent amplius horrorem,aut rigorem,aut frigus cum tremore;quia partes ſentientes non attingunt; etenim venarum, & arteriarum tunicæ non ſentiunt; Cor obſcuro ſenſu præditum eſt,ob ſubſtantiæ ſuæ duritiem, inteuſam,& neruorum penuriam. Altera vero ratio fortaſſis eſt,quia dum vapores putridi primum in Corde naturam igneam adepti per venas & arterias in vniuerſum corpus effunduntur; magna ex parte intra Cordis ventriculū ab excedenti calore attenuati ſunt in halitus valde ſubtiles,qui tenuitate ſua permeantes venarum & arteriarū poros, ex eis effluunt in ſubſtantiam muſculorum acri ſenſu pollentem ; quem ſtimulant ad ſui ipſorum expulſionem per motum horroris, vel rigoris,frigorisque vehementioris; iiſque breui temporis ſpacio extra corpus pulſis in halitus inſenſiles, interim tamen diutule perſeuerat acceſſio febrilis, quam promouent craſſiores vapores putridi perſeuerantes in venis, & arterijs, quouſque per harum oſtiola foras erumpant in ſudores,vel in halitus inſenſibiles.

VNIVERSVM.

NVnc ſubiectum febris adæquatum nobis proponit Aenigmatiſta;quia myſtica Pyronarcha,ſeu febris vel incendit ſolum, vel etiam tremefacit, non quidem vnam aliquam partem corporis,vt Ophthalmia,quę ſolos oculos incendit; phrenitis,quę ſolum cerebrum inflammat ; pleuritis, quæ ſolam membranam coſtas ſubcingentem;& alia quæuis inflammatio, quę ſibi determinat certam partem corporis, quam ſupercalefacit vltra naturæ modum: Vtque conuulſio eſt tremor vnius partis ; vel ſi totius, coniunctam non habens incenſionem : ſed in febri corpus vniuerſum vel incenditur, vel etiam tremore concutitur ; quia febris non eſt morbus vnius tantum particulæ, verum affectio vniuerſi corporis; licet enim primo Cor afficiat;nihilominus poſt Cor ſtatim vel incendit ſolum,vel etiam tremoris motu concutit vniuerſum corpus. Et ſane febrim eſſe paſſionem totius corporis , clarę

teſta-

l lib. 3. ca. 3. teſtatur Celſus, *l cui febris & in toto corpore, & vulgare maxime morbi genus eſt.* conteſtatur & *m* Auerroes inquiens *quod febris eſt* m 3. collig. cap. 3. *calor, qui continet totum corpus, qui lædit actiones & paſſiones membrorum omnium:* & mox, *definitio febris eſt hæc, quod eſt calor compoſitus ex calore naturali & extraneo putredinali miſſo a corde ad totum corpus, & lædit omnes actiones, ac paſſiones:* a qua definitione ſi tollamus particulam illam *putredinali*, vel eam commutemus in notam *præternaturali*; ex peculiari definitione putridarum, efficiemus communem ad omnes febres. Quam ſententiam Galenus etiam coluit aſſerens, *n Quum quiſpiam immoderata exercitatione* n de cauſ. morb. cap. 2. *vſus fuerit, laſſitudinem ſuſtinet corpus, hoc eſt; caliditatem immediatam in muſculis atque articulis habet; hi autem ſunt, qui primi motum excipiunt: quod ſi non vltra progrediatur calor, atque cum ſolui contigerit antequam totum animalis corpus inuaſerit, nihil vltra laſſitudinem conſequetur: at ſi in totum extenſum fuerit corpus, tunc huiuſcemodi affectus febris nuncupatur, quæ eſt quædam totius corporis immoderata caliditas. Ita & ira, quæ feruor quidam eſt exiſtentis in Corde caloris, ob immoderatum motum, per totum nonnunquam diffuſa corpus ita febrem accendit. Iam ea, quæ putreſcunt in animantis corpore, calorem quemdam immodicum in his partibus, in quibus putret, efficiunt; ſicuti eryſipelata, & herpetes, & carbunculi, & inflammationes, & phygethla: hæc autem vbi totum concalefecerint corpus, excitant febrem. Et quidem tertia cauſſa immoderati caloris ex his fit manifeſta, quonam modo animalibus adueniat, & ex ijs, quæ exuſtiones appellantur; nam in bubonibus & inflammationibus & eryſipelaſ; atque omnibus adeo calidis morbis, ſemper contingens pars atque continua, ipſa quidem primum caliditatem aſſumit, deinceps vero & partem vicinam afficit, & hæc deinceps ſibi proximum, atque ita vſque ad principium inſiti caloris vbi peruenerit intemperies, totum celeriter corpus principij ſenſit affectum. Diuturna quoque mora in locis Soli expoſitis, nudis quidem totam aliquando cutem ſupremam calefaciunt; at ijs, qui veſtibus operti ſunt ſolum caput; atque hæc exuſtio appellatur, quod ſi iam totum animalis corpus occupet, tunc ita febris accenditur.* Vnde ſatis apparet, febrim, quæcumque ſit illa, & quacumque ex cauſſa ortum habeat, immodica, præternaturalique ſui caliditate totum corpus vel incendere; vel, vt ait *o* alibi o 2. de diff. feb. cap. 2. Galenus, *humore, qui per omnes corporis partes ſuo motu defertur*, etiam tremefacere: proindeque recte ſcripſiſſe noſtrum Aenigmatiſtam, Iouem Pyronarcham in mundum mittendo, vel incendere,

dere, vel etiam tremefacere Vniuerſum.

Atque hæc altera ſit, optime Iuli, tenebricoſi griphi noſtra explicatio Medica; quam tuis iuſſibus obtemperans adornaui; vtinam tuis votis aliqua ex parte ſatisfecerim.

Interpretatio Scrupi, dudum a Cælio Igiano excogitata, & nouiſſime a doctiſſimo Recalcho ad me tranſmiſſa, ſuperioribus adijcitur. C A P. II.

PRopoſitarum explicationum compendia dederam inſigni viro, qui mihi propoſuerat Aenigma diſſoluendum, antequam mutaſſem opinionem de menſtruo Vulcani, quod opinabar eſse ſpiritus æſtuantes, humores putridos, & ſecundas humiditates cordis ſupercalefactas; quando conſimilem explicationem de febri pridem habuiſſe Cœlium Igianum mihi per epiſtolam ſignificat vir doctiſſimus, his plane verbis,

" Fortunio Liceto Iulius Recalchus Bene Agere. Mirum in modum delectatus ſum, Licete eruditiſſime, ſuauitate, dexteritate, & acumine ingenij tui: Suauitate, quidem, quod tam humaniter meis litteris reſponſum dederis; dexteritate, quoniam tanto artificio ænigmati propoſito & eius ambagibus occurreris; acumine denique, quia ad intima Cœlij ſenſa tam acriter perueneris: Etenim reuera hic Auctor griphum de febre finxit. Vt porro ſcias me non immerito claſſicum hoc de te ingenioque tuo in hac epiſtola canere, placet expoſitionem Igiani, quam iamdudum apud me habeo, in eadem ad te mittere, cuius ſententia ita ſe habet,

" *Pironarea febris eſt, quippe ignea eſt paſſio, quæ natura ſua hominem debilitat.*

" *Hæc genita eſt a calore alieno per Diſcordiam indigitato, & a vitali, qui per Vulcani nomen denotatur.*

" *Imprimitur autem primus motus huic generationi a calore alieno vitalem prouocante ad pugnam, vnde aliena caliditas ſeminis rationem in hac ratione habet.*

" *Confert menſtruum vitale calidum Cordis, cuius principium ſemper aliquid aut ſpirituoſum, aut humorale, aut ſolidum occupat calor igneus in facto eſse.*

" *Præſtat etiam idem Calidum ſinum in hac generatione, quia calido cordis conuerſio ad igneum accidit, non autem alieno ad naturale mutatio; ſuſcipit itaque vitalis calor in ſe qualitatem alieni, atque comprehen-*

prehendit, & non ſuſcipitur, aut comprehenditur ab eo.

Congreſſus porro fit, ut alienus calor a uitali conuellatur, non ut alteruter alterutrum foueat, hoſtilis itaque eſt, non per incitabula amoris conuentus fit.

Mittitur quin etiam a Ioue in totum hominem febris, quia propter Dei & naturæ prouidentiam effunditur calor uitalis in corpus: huic autem quum acciderit igneum eſſe, ſecum neceſſario defert, & impertitur corpori toti ægri conceptam igneitatem.

Verũ aliquando effuſilis calor ex accidenti contrahitur ad ſua principia, uel ne calefaciat impeditur, proindeque etſi ut frequenter per febrem urantur ægri, etiam non nunquam ex accidenti horreſcunt, & rigent.

Hæc Cœlius. Expoſitio porro D. T. E. de fulmine mihi maxime videtur ænigmati accommodata, propter eas, quas adduxiſti rationes, & auctoritates: potiſſimum vero ſi Vulcani nomine aerem igne refertum, & ipſum euomentem interpretemur; quod a Philoſophorum Mythologicorum placitis abhorrere haud videtur: nam Aetnam Vulcani nomine appellant, quia alat in ſe, euomatque a ſuis voraginibus ignẽ, vt tradit Lil. Gr. Gyraldus, cuius verba ſunt hæc; *Aetnens* (inquit) *eſt dictus Vulcanus, quia etiamnum Vulgo Aetna mons Mongibellus quaſi Mulciber dicitur, quoniam ſic Vulcanus appellatur*. Ex circumobſiſtente itaque heterogenea nube tamquam a Diſcordia, & ab igni uomo aere, tamquam a Vulcano, ob inimicitias mutuas congredientibus, prodibit fulmen; & conferet Vulcanus menſtruum, & aluum in generatione ipſius. Placet etiam adnotare, quod ſi igne referta & ignem eructantia corpora Vulcanum dicere fas fuerit, non erit a Philoſophorũ & Medicorum doctrina diſſonum Calorem alienum Diſcordiam, & Cor Vulcanum dicere; & tunc multo expreſſius apparebit Diſcordiam ſemen in febris generatione. Vulcanum autem menſtruum, & aluum conferre.

p ſynt. 13. de Dijs Gent.

Volui iſta, Vir ornatiſſime, de hoc gripho ad te ſcribere, vt ſaltem per ſpatium horulæ liceret mihi cum clariſſimo ac dilectiſſimo Philoſopho loqui, in hoc interſectionum tempore. A te vero poſtulatum Vir eximie volo, vt quum occaſio ſe ſe obtulerit, mea tamquam deditiſſimi amici & ſeruuli fidentiſſime vtaris opera, meque dilectus viciſſim diligere haud dedigneris. & Vale. Ferrariæ XI. Ianuarij MDCXXXIII.

Expenditur Cæliana declaratio griphi Pyronarchæ. Cap. III.

AD quas litteras hanc dedi reſpōſionem. Iulio Recalcho Fortunius Licetus B. A. Quod meæ ad Pyronarchæ griphum interpretationes Tibi probentur, Vir doctiſſime, eſt, vt mecum ipſe non parum gaudeam, qui maximi facio tanti Viri iudicium: Mirifice quoque me delectauit explicatio Cœlij ad me tranſmiſſa, tum quod eamdem ænigmatis explicationem de febris origine, cum illo priſco Scriptore propoſuerim; illa enim Igiana griphi ſolutio cum mea nuper ad Te data, prorſus eſt eadem; vt obſeruaſti; licet inter tranſcribendum primum meum exemplar nō nullis in locis opinionem mutauerim: tum quod in eam ſententiā confirmor, Autorem griphi genuinum fuiſſe quempiam Græcum Poetam Cœlio vetuſtiorem; & quæ in Cœlij volumine legitur, eſſe Latinam translationem ad verbum Epigrammatis Græcanici; quia Cœlius in ſuum ænigma commentationem non edidiſſet; qui bene potuit alieni Scrupi declarationem texere; ac ſuis floribus Medicis pulchrum ænigma de febri attexere, ac explicare. Non enim ſolebant veteres ænigmata ſi a declarare, ſed alijs declaranda proponere. Quin & Cœlius in ſua ſcrupi ſolutione nonnulla ponit, quæ metaphoræ griphi conſentire non videntur; quæ rei in eo tractatæ naturam non attingunt. Habeo ſiquidem nonnulla notanda in hoc Cœlij commentariolo; quæ ſuo tempore ad Te tranſmittam. Et quia mihi mens eſt, has meas qualeſcumque lucubrationes publici iuris facere; Oro te, Vir eximie, patere vt ſimul tuæ litteræ vulgentur, quibus me ad huius ænigmatis explicationem inuitaſti, eo prorſus ordine, quo ad me peruenerunt. Interim me ama; & mea opera in omnia tua commoda vtere. Vale. Patauij. xvi. Ianuarij. MDCXXXIII.

Notę vero, quas ad Coelij declarationem apponere libuit, hę ſunt.

1. Primum obſeruo; Cælium aſſerentem, Pyronarcham eſſe febrim, quia eſt ignea paſſio, quæ natura ſua hominem debilitat, deduxiſſe nominis etymologiam ἀπὸ τοῦ πυρὸς, quod ignem ſignificat, καὶ νάρκης, vel νάρκας, quod Tralliano ſtuporem, vel torporem, adeoque debilitatem membrorum ſignificat: ſed hoc ſenſu debuiſſe legi *Pyronarca*, non *Pironarca*.

2. Secundo, non bene videtur a Coelio poni, Diſcordiæ nomi-

dum. Vtinam ſtudioſis hac in re ſatisfecerim, quemadmodum doctiſſimus Recalchus ſibi ſatisfactum fuiſſe ſcribit. Interim hæc mea ſenſa ſapientum iudicio & oblectamento proponere volui; Quæ ſubiecta ſint Sacroſanctæ Eccleſiæ Doctorum cenſuræ; quæ ſi non reprobentur, Summo Deo gratiæ habeantur, cuius auxilio tam abditum ænigma patefacere potui. Patauij. Anno Salutis. MDCXXXIII.

Finis Libri Secundi.

APPENDIX

AD OPVS PYRONARCHAE.

COMMODVM volumini Pyronarchę Coronidem impoſueram, quum iuſſu Eminentiſſimi Principis Cardinalis a Balneo, Patroni litteratorum noſtræ tempeſtatis (qui tum forte nouerat me de fulmine commentationem habere ſub prælo) Gabriel Naudæus, vir multiplici pollens eruditione, meique illius Heri a libris, ad me tranſmiſit hiſtoriam admirandi fulminis nuper in Auenionenſi Comitatu prope Carpentoratum Vrbem de cælo vibrati; cuius hiſtoria quum omnia propemodum a nobis in ſuperiore libello tradita mirifice confirmet, operę pretium duximus eam noſtro huic operi mantiſſæ loco
" attexere; ſic autem habet. De ſolemni Beatiſſimæ Virgi-
" nis Aſſumptę, horâ de meridie ſeſquiquarta, cum P. Salua-
" tor Icardus è Conuentu Recollectorum, diceret ad Con-
" cionem de triumpho Deiparę in cœlum inuehentis; poſt
" crebra fulgura ſeſeque verſantis in nube concepti flatûs
" horribilem luctam, tandem diſrupto carcere fulmen
" excuſſum eſt in Principis Templi Maſanenſis obeliſcum,
" quatit ęra campanę: indé repulſum & jactatum ad late-
" ra, duos treſuè ingentes lapides reuellit, ædiculam ma-
" ioris Horologij diſturbat, tùm deorſum vergens per

» oſtium quoddam irrumpit in templum, ac primo impe-
» tu mulierem obuiam in veſtigio mactat, alios oblidit,
» auditum alijs obtundit; Eodem turbine in proximam
» aram deuolat, hic ſeſe peruoluit, celeri flamma corripit
» mappam, fœdat linteum opere denticulato & acu tex-
» tile, illud Statuæ Diuæ Annæ circumductum; aliam
» veſtem damaſcenam, & Sacram eiuſmodi ſupellectilem
» funeſtat. Ceterum, vbi ſic peruagatur brutum fulmen,
» certis ictibus ploroſque figit, occidit neminem: Subindè
» cuiuſdam puellæ veſtem abſumit, neq; perſtringit cutem
» extimam; contra verò, ipſius parentis corpus amburit,
» nec veſtem delibat. quid, quod Nobilis alterius feminæ
» de manibus excutit infantem, extollit in aera, nec ta-
» men hunc tollit; quin potiùs trium circiter paſſuum in-
» teruallo, blandè ſeductum, ad terram deponit molliſſi-
» mè, ſoſpitem & illæſum. Cuidam dimidiatum talum
» abſcidit. Duo fuere, qui omnium opinione domum re-
» ducti exanimes; nunc verò ſe habent perbellè. Demùm,
» quinquaginta numerantur, aut ſaucij vulneribus, aut ita
» hebetes, vt ſe recreandi ab illo ſtupore, vix vlla ſpes in
» præſentiarum affulgeat: alijs maleficus ignis emunxit
» nares; alijs ſtrictim abraſit capillos candente carbone,
» vt Siculo Tyranno. Huic deterſit naſum: iſti detorſit;
» olli ingens barba reluxit. Secundum illam ſtragem,
» igneus Vortex ſub concionali pulpito circumagit ſe;
» tùm, ita perorantem occupat, contundit fatigat, obte-
» rit, vt cum ſupremis hiſcè vocibus (exaltata eſt Maria
» ſuper Choros Angelorum) animam Deo reddiderit, ela-
» tus ad tumulum; elatus ad cœlum; ſi quid ominari licet.
» Subtilis admodum erat cicatrix quę falleret omnium o-
» culos: ſed ſtillę ſanguinis è capite in alteram aurem de-
» fluentes indicio fuere: Debebat pretioſa Victima placa-
» re inſani fulminis iram. at proh dolor? irritauit vehe-

men-

„ mentiùs; nam illicò ſubrigit ſe in ſuperiore pluteo in-
„ tercipit auditorem, ſublimem ter in gyrum volutat: de-
„ nique ſupinum ſternit & exanimat. Deinceps aliò ia-
„ ctauit ſe hoſtis effrenati furor in eminentem columnæ ſtri-
„ am, vndè magni ponderis lapidem demiſit, qui non pro
„ prio nutu ad perpendiculum ruens, ſed vi detortus ad dex-
„ teram, in caput incidit Dominę Franciſcæ de Cauſans, &
„ penitus oppreſſit. Ex eadem Stria peruoluentis ſeſe al-
„ terius lapidis ruina implicuit Nobilem puellam eique ce
„ rebrum extudit. Vix poſſim ire per ſingula quę in hi-
„ ſce luctibus funeribuſque contigerunt, ne meum pectus
„ effoderet triſtiſsimi caſus memoria. Tandem maligna
„ Lux abijt: crudelis flamma, quâ deflagrauimus extincta
„ eſt: & in diſceſſu quaſi tormentarij pulueris ac ſulphuris
„ teterrimum odorem inhalauit. Hic ſtupent omnes, ve-
„ rè de cœlo tacti. Aſpiret nobis inpoſterum aura ſuauior:
„ nec niſi Læuum intonnet Deus.

Eiuſdem fulminis hiſtoriam eodem ferme tempore mi-
hi deſcripſit Iacobus Gaffarellius nobilis Gallus, agens
Venetijs apud Excellentiſſimum Oratorem Chriſtianiſſimi
Regis, vir omnifariam litteratus, in hęc ipſiſſima verba,

Molt'Illuſtre, & Eccellentiſs. Signor

Sig. Patron mio Colendiſs.

IO hò giudicato bene il far V. S. partecipe di vna nuoua, che habbiamo riceuuto di Francia, la quale potrebbe ſeruire al libro ſuo De Fulmine; *poiche il ſogetto è circa quella materia. Le dirò dunque Che in Prouenza, in vn Villaggio chiamato Mazan, nel Contado d'Auignone, il giorno dell'Aßuntione della*

Bea-

Beatiſſima Vergine, il 15. d'Agoſto vltimamentè paſſato, occorſe che il Turno doppo hauer fatto per l'aria vn incredibile ſtrepito, & lampeggiato con lampi ſpauentevoli, & non mai tali veduti, finalmente vibrò il fulmine, che caſcò dentro la Chieſa doue tutto il popolo vdiua la predica; & hauendo ammazzato cinque ouer ſei perſone, occiſe il Predicatore mentre che finiua la ſua predica in queſte parole, che repeteua per Corollario, Exaltata eſt Sancta Dei geni, *non hebbe tempo di pronuntiare* Genitrix *intiero. Dipoi lo ſteſſo Folgore facendo vn giro conquaſsò grandiſſima quantità di perſone, le quali furono ferite tutti in diuerſe parti del corpo. Tale accidente occorſe il detto giorno ad hore due dopò mezo dì in circa: Il Predicatore era Zoccolante, della Città di Aix (cioè* Aquenſis) *& era chiamato il Padre Saluatore Aycardo. Et ſe V. S. voleſſe far mentione d'vn Idolo Egittiaco, che mi è capitato, & rapportarne nel ſuo libro la figura, ſarebbe forſe vn ſeruitio grande al publico; io ne hò dato la pittura al Sig. Rhodio, che la debba da mia parte preſentare à V. S. & vedrà che in materia di folgore non ſi può imaginare più bella Antichità &c. In tanto io bacio humilmente le mani à V. S. eſſendo al ſolito*

Di V. S. M. Illuſtre, & Eccellentiſſ.
Diuotiſſ. Seruitore

Giacomo Gaffarelli.

Venetia 17. Settembre 1633.

MI LECTOR

SIC ERRATA CORRIGE

pag. 65. lin. 1. *dele totam lineam primam*
74.——24. conferent.—conferente
77.——in titulo. *Natura fulminum*—*febrium origine*
79.——in tit.—*Natura fulminum*—*febrium origine*
83.——in tit.—*febrium*—— ——*ſiue de febrium in quibuſdam exemplaribus*
91.——10. erit accidens enim—erit accidens; accidẽs enim



ALTERA

MANTISSA,

In qua proponitur Simulachrum Fulminis, antiquitus in Africa interiori cultum.

SImulachrū hoc feminea facie,capite velis,ac vittis circumple-
xum,reliquo corpore magna ex parte nudū, zona ad lumbos
præcinctum;capite,collo,cruribusque contractis coronatum;(etſi
coronā crurum & colli ſcalptor non expreſſerit) cum tetrę caudę
præſtigio,ex ligno ad laurinum inclinante fragmentis rudium la-
pillorum diuerſi coloris incruſtato compactum, manibus fulgen-
tem lapidem olim mucronatum vibrans,relatu Memphitici cuiuſ-
dam Mercatoris, qui non ita pridem ipſum Nauarcho tradidit,
inuentum fuit inter rudera templi cuiuſdā Africæ interioris;quo,
ſecundum traditionem Seniorum, confluere confugereue potius
Idololatræ conſueuerant,quando tonabat: Nec mirum, quia pri-
ſci Gentiles adorabant etiam Febrim,Dęmones malos,& alia cun-
cta,vnde ſibi noxam aliquam metuebant: Quo factum eſt,vt Anti-
quitus haberetur commune præceptum apud Ethnicos,Sacrifican
dum eſſe malis Dæmonibus,ne noceant: qui mos etiam ætate pa- *a* Hiſt.Iud.
tum noſtrorum frequentiſſimus obſeruatus fuit apud Indos *a* ab
Hiſpanis,qui dudum eas prouincias ſubiugarunt: Inter nocentia
vero primas obtinere Fulmen,cuiuis apertiſſimum eſt.Sed & Rab-
bi Moyſes Ben Maimon Aegyptius Philoſophus (de quo Guido
Fabricius, *b* in ſuo dictionario Syro-Chaldaico,impreſſo cum Bi- *b* pag.126. col.2.p.m.
blijs Regijs in radice נבוך *Nabuch*,ſiue *Nauuch*;& Inclytus Præ- *c* 8.phyſ.
ceptor meus Federicus *c* Pendaſius) quem alij nuncupant R. A- part.5.
braham Ben Maimon,librum edidit multiiuga eruditione refer-
tom;cui titulum fecit מרדה בנרכים *Morech Neuochim*,ideſt, *Di-
rector Perplexorum*,ſeu *Doctor Dubiorū*,ſeu potius vt legit D. Pen-
daſius,*Dux Neutrorum*,ſeu *Dubitantium*; in quo volumine refert
Gentem Arar adorare conſueuiſſe בת קול *Bath Kol*,ideſt, *Filiam
vocis*,ſiue *Tonitru*,quaſi Dæmon præuidens in ſanctiſſimo Templo
Hieroſolymitano cæleſtem quandam vocem veneratum iri a Po-
pulo Hebræo,voluerit introducere illam adorationem Fulminis:
Vnde veriſimile ſatis eſt hoc Idolum eſſe Fulminis in Libya cul-

ti. Addo tertiam coniecturam, quoniam Idolum hoc vibrare videtur lapidem illum cuneatum, ac fulgentem, quem vulgus exiſtimat eſse lapidem fulminis; Sacerdotes enim Gentilium Vulgi opinionem ſectabantur in pleriſque, vt fidem ſuis technis aucuparentur. Præterea vero ſimulachrum fabrefactum eſt ex ligno quodam, quod egregio Gaffarellio ſimulachri poſſeſſori videtur eſſe Laurinum; vnde maior fides accedit noſtris coniecturis; nam decebat fulmen ab eo vibrari, cui non noceret; laurus autem cenſetur vulgo a fulmine tuta. Lignum hoc præterea ſuperficietenus vndique tectum eſt, ac velut incruſtatum minutis lapillis diuerſicoloribus, non politis, at ſcabris, atque diffractis ad figuram irregularem; vt indicaretur, vim fulminis eſſe, omnia vel duriſſima quæque diffringere. Colores autem lapillorum Idolum contegentium quatuor ſunt, ruber, flauus, viridis, & cæruleus; qui fulminis naturam omnes apte ſignificant; cœruleus enim color indicat ortum fulminis eſſe in aere ſublimi, qui cœruleus eſt ob diſtantiam: & vulgo cœli nomine nuncupatur; proindeque fulminibus icta dicuntur de cœlo tacta: viridis color indigitat fulminis materiam ſulphuream, ſeu terream exhalationem: Flauus autem refert fulminis fulgorem: Rubeus denique vel flammam & ardorem, vel etiam ſanguinem, adeoque vulnus, & mortem, quæ mala proueniunt a fulmine; vel ſi placet iram & furorem, Numinis fulminantis. Etſi vero petra fulgens, quam Idolum vibrat, in figuram cunei fortaſſe prius acuminaretur, nunc tamen in Idolo fracta conſpicitur, & retuſa ſine cuſpide, talem paſſa iacturam in templi ruina. Fingitur inſuper Idolum ex lapidibus circumtectum, præſertimque caput redimitum lapidea corona, ad indicandam fulminis violentiam, quæ vel in ſolidiſſima corpora irruens, ea facile proterit. Idolum habet pedes, crurave pariter coronata, (licet ab excuſore coronæ crurum loco faſcia expreſſa fuerit) vt ſignificaretur, naturam fulminis maxime conſiſtere in velocitate, motuſque ſumma pernicitate. Obtinet Idolum faciem ferinam cum rictu feroci, (quem etiam omiſit ſcalptor nimium feſtinans ac opus præcipitans) ad oſtendendam fulminis naturam eſſe minacem, tremefacientemque, vt ait Aenigmatiſta noſter de Pyronarcha; & brutam, quia ſine ratione ferit & viros probos pariter ac improbos; & ſacra templa pariter ac loca prophana. Habere quoque videtur Idolum tetram veluti caudam; quia fulmen poſt ſe relinquit teterrimum ſulphuris odorem. In-

eſt

eſt itidem ſimulachro tolluni coronatum, quia fulmen inter terrifica cenſetur obtinere principatum; eſtque veluti Rex telorum, quo ſolus Mundi Rex Deus ſummus vtitur; adeo vt qui fulmen non metuat, ab Ariſtotele dicatur furens & inſanus: Metum vero feciſſe Deos, apud Antiquiores fama celebris eſt, a d Lucretio Deorum contemptore verſibus hiſce celebrata, d lib.5.

Nunc quæ cauſſa Deum per magnas numina genteis
Peruolgarit, & Ararum compleuerit Vrbeis
Suſcipiendaque curarit ſolemnia ſacra,
Quæ nunc in magnis florent ſacra rebu' locisque
Vnde etiam nunc eſt mortalibus inſitus horror,
Qui delubra Deum noua toto ſuſcitat orbi
Terrarum, & in feſtis cogit celebrare diebus.

Quum igitur inter horribiſia maxime fulmen emineat, nil mirum ſi priſci terrore fulminum conſternati, Simulachrum Fulmini poſuerint in Delubro, ad quod audientes Tonitrua confugerent, ac Idolum hoc fulminis diuinis honoribus coluerint. Poſterius autem fingitur Idolum fulminis humana ſpecie, ſexuque femineo, ſine barba, & capite velis quibuſdam obtectum, vittisque velut circumplexum, & quadam quaſi ſtola per dorſum decurrente; quia fulmen in genere malorum reponitur; Pythagorici namque res omnes ad duas coordinationes referebant; quas Bonum, & Malum appellabant; ac vt in Bonorum ſerie Maſculum ponebant, ita in genere Malorum feminam collocabant: Qua ratione ſimulachrum hoc femineam imaginem habet; quia fulmen etiam feminèo nomine Pyronarchæ donatur ab Aenigmatiſta noſtro: Quin & R. Moſes Aegyptius Philoſophus aſſerit fulmen a Gente Arar olim adorari conſueuiſſe ſub nomine *filiæ Vocis*, Bath Kol: vocatur autem fulmen filia vocis. quia in ortu ſuo erumpit e nubibus colliſis, atque diffractis; qua violenta colliſione, diſruptioneque nubis ingens ille ſonus excitatur, quem Tonitruū dicimus, & Poetæ Brontem appellant; quæ vox ſit velut eiulatus, & clamor nubis parturientis filiam ſuam Pyronarcham; vt eadem prorſus ratione fulmen, ac Pyronarcha diceretur ab Arar gente filia vocis, qua dudum Rachel inter pariendum ſuum poſtremum filium Beniamin, e *Egrediente anima præ dolore, & imminente iam morte, vocarit nomen filij ſui, Ben-oni, id eſt, filius doloris mei.* Inſuper habet Idolum crura contracta, vt indicaretur nixus & impetus fulminis ex alto concitatiori motu vibrati. Nudo plurimum corpore e Gen.35.

fin-

fingitur ad indicandam ſimplicem ignis, ac terrę naturam, ex quibus maxime prędominantibus ſubſtantia fulminis coagmentatur; in quo terrea exhalatio veluti materies eſt; ignis velut forma: quæ duo elementa ſola ſimplicē maxime *f* ſynceramque naturam habentia, nuda finguntur apte. Denique vero totum hoc fulminis Idolum tres partes præcipuas obtinet, ac veluti tribus corporibus compactum eſt; fulgenti lapide mucronato; maſſa terrea veluti colla graminis imagines referente; ac femineo ſimulachro prædicto; ex ligno, & lapidibus compacto: quibus indicarentur tria ſumma fulminum genera, clarum fulgenti lapide; fumoſum terrena maſſa herbeſcente; nam exhalationes fumidas oriri caloris actione de terra, nouimus ex *g* Ariſtotele; ac demum miſtum ex tenui ſpiritu claro, & ex denſo fumo; retinens partes heterogeneas; quale fuit nuperum fulmen Maſanenſe tot & tam varios, immo quoque contrarios effectus funeſtos promouens in Templo Carpentoratenſis Ditionis, vt vidimus. Nec omittendum eſt, Idolum manibus vtrinque compreſſis, digitisque contractis mox explicandis a ſe violenter excutere veluti trabem apicis igniti, ad indicandum exitum ſeu ortum fulminis e nubibus ſeſe comprimentibus; qua de re pulcherrime Seneca *h* ſic inſit, *Fulmen eſt coactus ignis, & impetu iactus: ſolemus duabus manibus inter ſe iunctis aquam concipere, & compreſſa vtrimque palma in modum ſiphonis exprimere: ſimile quiddam & illic fieri puta: nubium inter ſe compreſſarum anguſtiæ medium ſpiritum emittunt, & hoc ipſo inflammant, & tormenti modo eliciunt; nam & balliſtæ quoque, & ſcorpiones tela cum ſono expellunt.* Quin & ad ſignificandum fulminis proiectionem deorſum; de qua ſic Ariſtoteles, *i* *Quapropter fulmina feruntur deorſum, quamuis natura ſit ſarſum ferri calidum omne; ſed ad contrarium ſpiſſitudinis neceſſarium eſt fieri extruſionem, veluti nuclei ex digitis exilientes.* & mox. *Quæ autem intercluditur ſicca exhalatio in tranſmutatione aeris, qui infrigidatur, hac coeuntibus nubibus excernitur.* Ita ergo ſatis veriſimile nobis eſt, ſuperius effigiatum Idolum, fuiſſe ſimulachrum fulminis in Libyæ phano priſcis adoratione veneratum. Gaudeat igitur in ſinu ſibi nobilis Vir Gaffarellius tam raræ antiquitatis poſſeſſor.

f 2. de gener. tex. 12.

g 1. meteo. ſu. 2. cap. 1. & ſu. 4. cap. 1.

h 2. nat. q. cap. 16.

i 2. meteo. ſu. 4. cap. 1.



INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

Abelis ſacrificium probatum igne cæleſti. pag. 7.
Abuſus Medicinæ morbos an facere queat. 83.
Aegyptus non fulminat. 62.
Aenigma Pyronarchæ mirabile. 2. 3. non bene ſoluitur a Cælio. 113. 114.
Autorem habet Cælio vetuſtiorem. 113.
Aenigmata propria nemo ſoluebat, ſed alijs ſoluenda proponebat. 113. ſoluere neſcientes quæ pœna maneret. 24. 25. condebantur ab antiquis ſapientibus. 3.
Aer dicebatur Iupiter a priſcis. 41. 42. 104. 105. vt ſit aluus & Iunonis, & Vulcani. 24. 25. 26. 27. ſerenus cur non fulminet. 33. vt Iuno Platoni. 26. vt ſit magis humidi quam calidi. 79 caloris eſt inſenſilis. 79.
Aeſtas vnde incendatur. 59.
Aethiopia fulminat. 62.
Alexander bis innoxie fulminatus. 47.
Aluus caloris innati vt ſit ventriculus cordis. 95. materna eſt officina, in qua fabricatur proles. 28.
Angeli vocantur nomine Domini. 55. quomodo territi fulminibus. 51. peccauerunt concupiſcentia. 81.
Animal cur non generetur momento 83. quod ſuos fœtus extra ſe formet. 25. quod femina inſerit in mare 25
Antiperiſtaſis cur dicta ſit Diſcordia. 16. cur ſit cauſſa remota fulminis 32. quid ſit. 16. vt fulmina generet 31. vt ſit cauſſa efficiẽs fulminis. 17.
Antiqui crudis carnibus veſcebãtur 6
Aqua calci adiecta flammas excitat ſtatim. 5. cum tonitru cadens laudatur 65. quæ pariat magna tubera 65. vt igni opponatur. 33.
Arborum haſtulæ cur ſurgant contra fulmina. 73.
Arcadiæ vinum fumo induratum. 72.
Ariſtoteles poſuit duo genera materiæ fulminum. 13. vbi non bene tranſlatus. 103. 104.
Ars Medica nõ efficit ſanitatẽ. 82. 83.
Aſpirata in tenuem mutantur. 9.
Auditus facillime afficitur. 69. 70.
Aues cur non edant cadauera fulminatorum. 67.
Autumnales ægritudines quæ. 102.
Autumno & vere cur magis fulminet, quam æſtate, ac hieme. 58. 59.

B

Benignum fulmen quid efficiat. 57.
Brontes tonitruum deſignat. 40.
Brutis medentur Veterinarij. 106.
Bulbi qui Venerem excitent. 64. qui tonitrua non timeant. 63. 64.

Q Cada-

C

Cadauer fulminati cur non deuoretur a feris.55. cur non putreſcit. 66.67.
Cælum vt efficit omnia ſubcæleſtia.86
Cæſares cur lauro coronati. 52.
Calor aeris eſt minime actiuitatis.79. eſt inſtrumẽtum animæ ad vita munia.78.eſt euaporationum efficiens. non materia.89.90. febrilis cur dicatur ignis.78.79.vt ſit contrarius innato.89. in ſubiecto denſiori eſt actuoſior. 108. influens ſomno concentratur. 69.
Calor natiuus cur dicatur ignis.78.79. 80.eſt ignea miſti portio in miſto uiuente,eſt maxime uegetus.79. fouet ſubſtantiam corporis.10.108.in febre cur habeat naturam feminæ.84. 85.non eſt aereus,ſed igneus. 79. vt exhibeat cor in ſubiectã febris.101. vt ſit maſculus,& femina. 84.85. vt concurrat ad generationem febris. 100. 101. vt ſe habeat ad cordis corpulentiam. 87. vt ſit contrarius intemperiei. 100. 101. vt ſit in corpore. 75. vt ſe habeat erga poros. 69.
Canes cur non vorent fulminati cadauer. 67
Carbo quid ſit. 4.vt ſit ignis vltimus 4. vt ſi flamma tum efficiens,tum materia. 12.
Cauſa fulminis efficiens, ut ſit Diſcordia. 29. finalis coincidit cum forma li. 43. febrim producens ut operetur. 100.
Celtæ non timent inundationes. 52.
Ceraunoſcopium quid ſit. 19.
Clarum fulmen quid ſit. 63. vinum ab ſumit illæſo dolio. 65.
Claudiana tonitrua quæ forent. 19.
Cælius Igianus Medicus. 76. non bene ſoluit Aenigma Pyronarcha. 113. 114.
Concoctio fit ab anima per calorem. 78
Contraria fiunt circa idem. 90. ſunt cauſſa rerum naturalium. 17. vt fugent ſe inuicem. 34.
Conuulſio vt differat a tremore febrili. 109.
Cor eſt fons caloris. 77. 79. eſt pars princeps. 78. eſt ſubiectum febris principale 87.eſt obſcuri ſenſus.109 ut ſit menſtruum gignendæ febris.87 cur habeat ventriculos aſperos. 81. cur plures ventres habeat ob febres. 95. 96. qua metaphora deſignatos ventres habeat. 95.
Creatio fulminum quæ ſit. 17. 18.
Cuſtodia Iouis qui ignis eſſet Pythagoricis. 41.

D

Dæmon ciere fulmina poteſt. 16. eſt æmulator Dei. 50.
Demoſthenes ut. balbutiem exuerit.92
Deſperatio cur reddat animoſos. 33.
Deuaſtãtia fulmina a quo mittãtur.46
Deus fulmina plurima mittit. 44. 45. creditus fuit audito fulmine.53.fulmine tremefacit inferos Pythagoricis.57. quando miſerit fulmina gratioſa. 49. 50. quomodo fulminet cæleſtia. 51. vt fulmina mittat in mũdum. 45. vt ſit in mundo. 44.

Dex-

Dextera fulmina ut ſiot ſiniſtra. 52.
Diaria calor eſt mitis. 108.
Differentiæ caloris in febribus. 107. 108. *febrium explicata.* 46. 507. *& ſeqq.*
Diſcipuli Socratis cur prono capite. 63. 64.
Diſcordia efficiens fulmina quid ſit. 31. *efficiens febrim quid.* 82. 92. 113. 114. *vt febres generet.* 99. 100. *vt ſit maſculus & femina.* 24. 30. 31. *cur fulminis efficiens dicta.* 15. 17. *Diuinum in fulminibus vt inſit.* 4. *in morbis quid ſit Hippocrati.* 103.
Dormientes an tuti ſint a fulmine, vt putat Plutarchus. 67. 68. 70.

E

Effectus fulminum ad duo genera redigi. 63.
Efficiens ut appetat materiam. 35. *vt materiam perficiat.* 34. 35. *ut cum materia congrediatur inuito.* 35. 36. 37.
Elementa ut ſanitatis cauſſa. 99
Ephemera in qua parte Cordis oriatur. 95.
Epheſini templi mira conflagratio. 13.
Eruca viris excitat venerem. 64
Exhalatio fulminis eſt ſulfurea. 55. *fumida eſt Vulcani menſtruum* 23. *in nubibus non coit in lapides, aut metalla.* 24.
Exuperantia morbum creat 99.

F

Facilius eſt excitari flammas in nube, quam in terræ ſinu. 5.
Fames quomodo deſiniatur 104
Febris nomen ab igne deducunt Græci, Latini a feruore. 78. 105 *corripit etiam bruta.* 105. 106. *cur dicatur ignis primus, ſeu princeps.* 77. *cur dicatur genita eſſe, non gigni.* 84. *cur dicatur velox.* 82. *eſt ægritudo prima.* 78. *eſt calor compoſitus.* 110. *eſt intemperies.* 77 *cur puellæ comparata.* 85. *eſt accidens.* 96. *eſt morbus totius.* 110. *eſt morborum princeps.* 81. *ſubſtantia dicitur ridicule.* 88 *non eſt ab arte.* 82. 83. *non habet materiam ex qua.* 85. *non omnis in in eodem loco Cordis oritur.* 95. 96. *nulla habet partes.* 83. *quæ ſolum incendat.* 108. *quæ tremefaciat.* 108. *quid ſit.* 87. *vt dicatur ignis.* 88 *ut ſit fuluator pens.* 77. *ut orta ex Vulcano.* 81. *ut ſit uniuerſalis morbus.* 77. *ut ſit velox.* 77. *ut habeat cauſſas finales.* 103. 107. *& ſeqq.*
Feminæ officium. 24. 85.
Ficus cur fulmine non læditur. 64.
Finalis cauſa ut gemina. 43. *cui fulminum.* 43. 49.
Flamma cur maxime ignis. 40. 41 *cur ſit efficiens; non materia flammæ* 12. 13. *cur ſit prior carbone.* 4. *cur ſit magis ignis quam pruna.* 5. *gigni poteſt ab omni igne.* 11 *gigni nequit ex flamma.* 12. *prima in mundo fuit fulmen.* 5. *& ſeqq. quæ ſit fumus ardens.* 22. *quæ ſpiritus ſicci ardor.* 23 *quid ſit.* 4. *quouis igne cur ſplendidior* 40. *ſtuporem quæ aduehat.* 9. *vt ſit humor igneſcens.* 12.
Flammeus gladius uerſatilis in manu Angeli quid fuerit. 7.

Forma fulminis in quo ſita. 33. 34. 40.
Frigidum cur non ingrediatur opera naturæ. 21. 78. 79.
Frigus in febrium initio unde oriatur. 108. 109.
Fulgur ex pelui, prouerb. 18. 54.
Fulguratio ut à fulmine differat. 33.
Fulmen metum, & tremorem incutit. 53. & ſeqq. cur dicatur Pyronarcha. 9. cur humana cadauera ſeruet imputria, nō item ueneuatorum. 67. cur telum Dei ſummi. 7. 8. 42. 44. 57. eſt fulgor minax. 51. eſt halitus tenuis. 63. eſt tonitrui ſoboles. 7. nullum ſine igne. 11. oritur ex igne impuro. 22. pluuias cur optimas. reddat. 65. quomodo uinum abſumat infracto dolio. 65. ſine nubibus an eſſe queat. 16. ſtupidos reddit. 9. 70 uinum rigidum ut faciat. 71 ut gignatur 31. 32. ut oriatur ex pugna contrariorum. 36. 37. capita cur inuertat. 73.
Fulmina cur deorſum ferantur. 38. 42. cur fiant præter ordinem naturæ. 37. cur ſemper celſas res feriant. 8. cur tranſuerſa ferantur. 33. cur treme faciant. 33. 34. ſunt corpora calida 42. ut ſe habeant ad naturam. 17. ut fiant in aluo Vulcani. 24. & ſeqq. necantia ſine ueſtigio ictus quæ ſint. 69. non eſſe lapides. 42. cur minus fiant hieme. 60. qui non metuant. 52. Secunda quæ ſint. 70. 71. unde deno minata. 40. ut imitarentur Comici. 18. 19.
Fulminata dicuntur de cælo tacta. 48.
Fulminum ignis tenuiſſimus, & ſubtiliſſimus eſt. 68. materia duplex. 13. 0.
pera mirabilia explicata. 65. & ſeq.
Fumidum fulmen quid ſit. 63.
Fumus uetuſtatem addit uino. 71. 72. ut inflammetur. 13.

G

GAllia nō timet terræmotum. 62.
Generatio metitur tempore. 83. fulminis explicata. 34.
Genitum eſſe metitur momenta. 83.
Gentiles imitari dicta ſanctorum. 81.
Gigantes fulminati quid fuerint. 7. 81.
Grauida fulmine icta, quæ ſuperuixerit enecto fœtu; & quæ necata fuerit illæſo fœtu. 70. 71.

H

HEctica febris, in quibus cordis partibus fiat. 96. nulla eſt magna. 108. calorem habet fere inſenſibilem. 106.
Hiemis morbi qui ſint. 102.
Homerus defenditur a Tullij obiectione. 52. ut iudicet Iouem potentiſſimum. 41.
Homines arte fieri poſſe qui dicant. 84. habent rerum omnium Dominium. 80. omnes fulmina timent. 52. ut generent homines. 97. ut mundo ſimiles ſint. 105.
Humiditas eſt mater putredinis. 67. ſecunda parum euaporat. 108.
Humores non ſunt materia febris. 85. non uiuunt. 85. ſunt cauſſa efficiens febris. 91.
Hyena pellis cur fulmine nō lædatur. 64
Hypeccauma quid ſit. 23.

I

Ignis nomine febris dicitur. 77. qui priſcis uocaretur Iupiter, et æther. 4. ſimplex alius eſt, alius miſtus. 88. cur dicatur Vulcanus. 80. cur ſit mater fulminis. 21. & ſeqq. eſt ſymbolum doctrinæ ac ſcientiæ. 80. elementum cur a multis negetur. 4. eſſe materiam fulminis ut uelint priſci. 13. non gignitur ex igne priore. 5. ut aere utatur ceu aluo. 25. ut indignatione compellantur ad productionem fulminis 36. 37. ut a cælo trudatur in aerem. 17. 37. cur in ſua ſphæra non fulgeat. 40. miſtus eſt geminus 4. non eſt ſubſtantia incorporea. 92. primus qui ſit. 4. purus ut eſſe queat efficiens, & materia flammæ. 12. qui dicatur Iupiter, & qui Vulcanus a priſcis. 41. ſubterraneus ut aere ſublimi utatur ceu aluo ſua. 25. ubi ſit incorruptibilis, & cur. 4. uelox qui dicatur. 9. ut materiam fulmini tribuat. 21. 22. ut ſit animanti ſimillimus. 20. ut ſit magis calidi quã ſicci. 79. Vulcani mirum oſtentum. 50. 51. trium generum eſt. 4

Imperatores cur lauro coronati. 8.

Incorruptibile ut dicatur quod corrumpi poteſt. 61.

Intemperies eſt cauſſa efficiens febris. 82. cur dicatur Diſcordia. 82. quomodo febrim efficiat. 96. 97. ut concurrat ad febris originem. 100. 101. ut generet intemperiem. 97.

Iouis omnia plena cur dicant Stoici 105

Ira ut febrem accendat. 110.

Italia omni tempore fulminat. 59.

Iuno ut ſine mare Vulcanum conceperit. 26. ut referat aerem. 26.

L

Lamia eſt in uenerem procliuis. 39. uorat ſecum coeuntes. 39.

Lapis in ueſica non eſt morbus, ſed morbi cauſſa 92.

Laſſitudo eſt caliditas immodica in muſculis, & articulis. 110. in quo ſita ex Galeno. 110. ut in febrem abeat. 110

Laurus fulmine non icitur. 18.

Leo cur frequenter febricitet. 106. non ſemper febrit. 106. cur dicatur a Lucretio triſte ſeminium. 105. 106.

Libido fuit Angelorum peccatũ. 81.

Lumen non eſt ſpecies ignis. 4.

Luna lumen frigidum fundit. 4. ueteribus cur dicta maſculus & femina. 21. & 30. Carreni maſculus, & Lunas dicebatur, & cur. 84.

M

Machina fulminea in Comœdijs qualis eſſet. 18. 19.

Mala omnia cur & quando irrepſerint in homines. 80.

Manubiæ fulminum tres. 46. 47.

Maſſiliæ uina cur fumea dicta. 72.

Mater quid tribuat in generatione. 85. Pyronarche cur uocetur nomine maſculeo Vulcani. 31.

Materia accidentis ut ſit proportionata materiæ ſubſtantiæ. 85. 86. cur appetat coire cum efficiente. 34. 35. ut ſaturetur ab efficiente. 34. febrilis

ignis

*ignis quid ſit.*78. *febrium cur dicatur pars uiuens.*85. *febris non eſt ſubſtantia ſpirituum, nec humorum, nec ſecundarum humiditatum.*85. *generanda febri cur debeat eſſe quid purũ & maxime perfectum* 88. *fulminis plerumque ſulfurea.*67. *fulminis ut compellatur congredi ab indignatione cum effectrice*35.36. *fulminum eſt ſubtiliſſima & rariſſima.*24. *ut eſſe queat ignis elementum* 13. 14. *febrili calori, & natiuo ſubſtrata eſt eadem.*90. *ad congreſſum cum effectrice plerumque ducitur amore.*34.35. *rebus affert neceſſitatem intereundi.* 35.

*Media diriguntur ad alterutrum extremorum.*59.

*Medici ſolum tractant morbos humanos.*107.

Menſtrua non ſunt in plantis. 86. *ut dicantur ſemen.*22.86. *a Vulcano collata in generatione fulminis quid ſint.*21.22. *pro gignenda febri quid ſint.*87. *ut ſint purior pars ſanguinis.* 87.

*Metalla monetarum ut liquentur a fulmine ſacculis illæſis.*66. *non fieri ex exhalationibus.*24.

*Metus ut denſet corpus.*70.

*Miſti forma quid ſit.*40.

*Monitoria fulmina quæ dicerentur.*46

Morbi omnes ut Diuini. 103. 104. *unde primam originem habuerint.* 81.

*Mortem metuendo qui moriantur, nil aliud paſſi.*55.69.

Motus fulminis eſt celerrimus 42. *et uiolentus.*45. *cur non ſit ſurſum, ſed ad terras deorſum* 45. 46. *uelocior in aure ſonum facit.*42.

*Muliebre nomen in gripho ut proferendum.*8.9.

*Mundus cur non fulminet in parte ſuperiori.*45. *ex mare ac femina conſtat Ægyptijs.* 21. *paruus eſt non homo ſolus, ſed animal generatim.* 105.

N

*NAtura eſt morborum medicatrix.*83. *ſemper effugit ſibi moleſta* 73. *ſemper orditur a faciliori.*5.

*Nemo fulmen timet niſi qui effugit, & cur.*9.69.70.

*Nocentia fulmina a quo mittantur.*46.

Noe cur dictus priſcis Oſiris, & Bacchus. 11.

Nomina quæ rebus imponerent priſci. 3.

*Nubes dicitur Maieſtas, & gloria Domini.*49.

Nutrimentum odoratũ cur morboſum. 104.

*Nutus Iouis quid ſit priſcis.*51.52.

O

OB peccatum Regis cur iuſte puniatur populus. 107.

*Obiecta uiſus anteuertunt ſonos.*38.

Officina Vulcani & uterus formando fulmini quid ſit. 28.29. *duplex cur attributa Vulcano, & ubi.* 14.

Omnia ut eodem modo intereant. 98.

Ophthalmia ſolos oculos afficit. 109.

Opinio ridicula ponens febrim, & omnem morbum eſſe ſubſtantiam. 89.

&

& ſeqq.
Oppedere contra cæli tonitrua, prouerb. 18.
Orientalia fulmina cur dextra, & ſiniſtra dici queant. 52.
Origo fulminis ut præter agentis intentionem ſit. 36. 37.
Orion in quo utero formatus. 27.
Oſſa leonis duriſſima ſunt 105. excutiunt ignes concuſſa. 105.
Ouipara pullos extra ſe formant. 25.

P

PAcifica fulmina incendunt 46. 47.
Pallas dicta mas & fœmina 21.
Pandoræ fabula explicata. 80.
Paſtores ut doceant pecus eludere fulmen. 71.
Pater Pyronarcha cur dicatur Diſcordia. 25. & ſeqq. 31.
Peremptalia fulmina quæ. 46.
Peſtifera fulmina quæ. 46.
Peſtilentia a Deo miſſa. 103. facilius bruta corripit, quam homines. 106. introducta in domum Autoris famulorum culpa. 1.
Philoſophi ut agant de morbis. 107.
Phrenitis ut a febri differat. 109.
Pironarca cur non geminet rr. 9. 10.
Planta cur careant excrementis, & quibus 25. ſemen, & menſtruũ cur ſimul confuſum habeant. 25. quo uentre, ac utero utantur. 25.
Plotinus cur ſcriberet ſine ortographia 3.
Pluuiæ quæ ſtirpibus utiles. 64. 65. quæ laudentur. 65.
Poeta multa myſteria ſacra fabulis occultarunt. 81. ut primam hominum creationem, & labem adumbrauerint. 8.
Poſtularia fulmina quæ dicerentur. 46.
Princeps ut ſit finis in urbe. 44.
Prometheus cur dictus inuentor ignis. 6. cur fictus alligatus Caucaſo. 6. cur non Deificatus ut Vulcanus ob inuentionem ignis. 11.
Punientia fulmina quæ ſint. 51. tremefaciunt. 46.
Putreſcentia calefaciunt. 110.
Pyracmon quid in fulmine denotet. 40.
Pyronarcha cur dicatur etiam Pironarca. 9. ex Vulcano genita. 11. cur primatum habeat, & principatum. 5. cur maxime flammam denotet. 41. eſt in genere flamma. 5. unde dicta. 3. 4. matrem cur nõ habeat Veſtam, ſed Vulcanum. 23. 24. non eſt ignis purus ac ſimplex. 5. non eſt ignis carbo. 4. ut febrem denotet. 76. 77.

Q

QValitates contrariæ quando iunguntur ab amore. 82. in ſubiecto denſiori ſunt pollentiores. 33.
Qui tremefiunt ut afficiantur. 73.
Quouis anni tempore fulminare. 58.

R

RIſus Iouis quid. 55. Veſtæ, ac Vulcani quid. 55.
Roma iuxta hieme, ac æſtate fulgurat. 59.

Salmoneus vt imitaretur Iouem fulminantem.19.
Scythia immunis a fulmine.58.
Secundæ humiditates quid ſint.85.non ſunt materia febris hecticæ.85.non viuunt.85.
Semen non coincidit cum patre.114. vt generationem promoueat.32.tribuit formam genito.33.vt ſit materiale principium animatorum 86. vt differat a vapore in agendo.32. vt elemento ſtellarum reſpondeat.86.
Seneca negat omnia fulmina mitti a Ioue.44.
Sereno die vt fulminare poſſit, & vt non.17.71.
Sitis vt definiatur 104.
Sodomorum euerſio cur ſæpe repetita in ſacris litteris.57 terra combuſta fulminibus.48.49.56.57.non igne efflato e terra, vt male Strabo ſcribit.55.56.fructus vt foris pulchri ſint, intus cinis & fumus.48.
Solis calor vt febrem accendat.110.
Spiritus vt ſe habeant ad fulmen 73. non ſunt materia febris diariæ 85. non ſunt partes viuentes.85.
Stellarum ignes decidere Plinius ait. 17.
Steropes fulgorem fulminis notat.40.
Subiectum febris adæquatum explicatur.105.
Subſtantia nil habet contrarium.89. incorporea non accenditur.92.non habet materiam in qua ſit.85.
Sulfur cur a priſcis dicatur diuinum. 55.67.

T

Templi Epheſini mira conflagratio.13.
Tempus aptum fulminibus.58.quo febris gignitur.102.
Tonitrua comici vt imitarentur.18. 19.cur audiantur poſt viſum fulgur, quod præcedunt origine.38. multos necarunt ſine veſtigio aduſtionis, aut ictus.55.69. audientes cur non feriantur fulmine.69.
Tremor eſt motus localis.73.vnde fiat in febri.108.109.
Tubera cur non lædantur fulmine.64. non habent acrimoniam.64.nullam habent qualitatem inſignem.64. quando fodiantur.64.ſunt alimenti ſubfrigidi.64.ſunt inſipida.64.cur oriantur quando fulminat.65.
Tunicæ arteriarum non ſentiunt.109.
Typhon habet naturam fulmini congeneam.20 cur dictus Iunonis ac Terræ filius.20.21.
Typus omnium morborum eſt febris. 81.

V

Vapor aqueus vt fulmina gignat. 32.& ſeqq.vt inflammet exhalationem.34.vt ſemini proportionetur.32.
Venarum tunica non ſentit.109.
Venenum mittentia non verminare,an verum ſit.74.paſcitur a capris.67. fulmine conſumitur, & cur.73.74.
Venti magnos ſonos excitant.42.terremotus,& tonitrui eadem natura vt ſit.52.

Ventriculi Cordis quales intrinſecus. 81.

Vere & autumno magis fulminat. 58. *qui morbi fiant.* 102.

Vigilantes cur fulminentur, non dormientes, Plutarcho. 55.

Vina cocta fumis quæ forent. 72. *Maſſiliana fumo cocta.* 72. *fulmine cogi ne fluant.* 71. *indurata ad inſtar ſalis vbi ſint.* 72. *fumo ſiccata vbi ſeruarentur abradenda ad potum.* 71. 72.

Virgilius apte fulmen deſcribit. 42. 43.

Vituli marini pellis cur fulmine non lædatur. 64.

Vniuerſum diuiditur in partes tres. 51.

Vterus alienus pro aluo propria recte ſumitur. 28. *humanus cur vnicum ſinum habeat.* 95.

Vulcani coitus indignatione, non amore ducti. 39. *comminatio quid ſit in igne.* 54. *menſtruum quid ſit.* 40. *nomine cur deſignetur ignis.* 10. *Officina cur duplex.* 14.

Vulcanus cœleſtis vt menſtruum conferat ad ortum fulminis. 22. 23. *cur ab Antiquis dicatur mas, & femina.* 21. 84. *cur dictus mater Pyronarchæ, ſeu fulminis.* 13. 21. *cur idẽ cum Luna dicatur.* 84. *cur Ioui fulmina fabricare dictus.* 81. *terrenus vt ad ortum fulminis conferat menſtruum.* 23.

Z

ZOna borealis non habet fulmina. 61. 62. *temperata frequenter fulminat.* 62. *torrida qaandoque fulminat.* 61. *quæ, & quomodo ſit habitabilis.* 62. *vt ſit quintuplex in cœlo, & in terris.* 61.

F I N I S.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Ne præſens pagella prodiret inanis, placuit in ea deſcribere catalogum operum hactenus editorum ab Autore huius voluminis, tum meis typis excuſorum, tum etiam alicuis.

Fortunij Liceti opera cuſa a Gaſpare, & Iulio Criuellarijs.

1. De monſtrorum natura, cauſſis, & differentijs. lib. II. Pat. 1616. in 4.
2. De Intellectu Agente. lib. V. Patauij 1627. in f.
3. Scholium de Camello Bulla. Pat. 1627. in f.
4. Elogia varia Heroum noſtri temporis. Pat. 1627. in f.
5. Imitationes figurati Metri a Simia in Rhodio inuenti Pat. 1627. in 12.
6. De Immortalitate Animæ rationalis ex Ariſt. lib. IV. Pat. 1629 in f.
7. Allegoriæ Peripateticæ de Generatione, Amicitia, & Priuatione ad antiquiſſimum *Elia Lelia Criſpis* epitaphium. lib. II. Pat. 1629. in 4.
8. Encyclopædia ad Aram Noniatij Terrigenæ. Pat. 1630. in 4.
8. Encyclopædia ad Aram Pythiam Publij Optatiani. Pat 1630. in 4.
10. Pyronarcha, ſiue de natura Fulminum, deque febrium origine. lib. II. Pat. 1633. in 4.

Eiuſdem Autoris opera Cuſa ab alijs Typographis.

11. De ortu animæ humanæ. lib. III. Genuæ apud Ioſeph. Pauon. 1602. in 4. & Fracofurt. 1606. in 8.
12. Peripatetica, Medicaque placita, Papirio Caballetto diſputanda oblata. Genuę apud Ioſephum Pauonium 1605. in 4.
13 De Vita. lib. III. Genuæ apud Ioſephum Pauonium. 1606. in 4.
14. De his qui diu viuunt ſine alimento lib. IV. Patauij apud Petrum Bertellium 1612. in f.
15. De Perfecta conſtitutione hominis in vtero. lib. I. Patauij apud Petrum Bertellium 1616. in 4.
14. De animarum coextenſione corpori. lib. II. Patauij apud Petrum Bertellium 1616. in 4.
17. De ſpontaneo viuentium ortu. lib. IV. Patauij apud Bolzettam. 1618. in f.
18. De Lucernis Antiquorum reconditis. lib. IV. Venetijs apud Deuchinum 1621. in 4.

19. De

19. De Nouis Aſtris, & Cometis lib. VI. Venetijs apud Ioannem Guerilium. 1622. in 4.

20. Controuerſiæ de Cometarum attributis. Venetijs apud Georgium Valentinum. 1625. in 4.

21. De ferijs Altricis Animæ Diſput. Nemeſet. Patauij apud Variſcum Variſcium. 1631. in 4.

22. De Anima ſubiecto corpori nil tribuente: Deque ſeminis Vita & efficientia primaria in conſtitutione fœtus. Patauij apud Variſcum Variſcium. 1631. in 4.

REGISTRVM

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R.

Omnia ſunt folia, præter R. ſemifolium.

Præſens opus Excellentiſſimi Domini Fortunij Liceti Genuenſis in Patauino Gymnaſio Philoſophi ordinarij, cuius titulus eſt de Fulminum natura &c. quod incipit Nuperrime, & finit patefacere potui: in folio cartarum 56. fuit à me examinatum, & pro impreſſione approbatum.

Ita eſt ego Fr. Antonius à Lendenaria Inquiſitor Gener. Patauij.

Clariſs. Signor Patron Colendiſſimo.

Hò veduto il libro: De Fulminum Natura, deq; febrium generatione del Sig. Fortunio Liceti Lettore ordinario di Filoſofia nel ſtudio di Padoua, ne contiene coſa, per la quale non ſi debba laſciar ſtampare.

Deuotiſs. Seruitore

F. Fulgentio de Serui.

1632. *à 27. Febraro.*

Di permiſſione delli Eccellentiſs. Signori Rifformatori dello Studio di Padoaa ſi concede licentia di poterſi ſtampare il preſente libro *De Fulminum natura.*

Girolamo Cauazza Secr.